PRESENTED TO THE * 4059.42.

Public Library of the City of Boston



By Joshua Bates, Esq.

Received Sept. 15. 1859 No. 31084

IESUS Hæreditas Mea.

Dum ob pietatem hujus Exu-
lis Scriptum in foro ſcruta-
rio ſub custodia vetulæ exu-
laret
Johannes Federicus Mitw.
SS. Th. St.
ipſe tum temporis ob pro-
motorum penuriam Dres-
dæ exulans,
Se ſuasque fortunas ſequi
juſſit,
numerato redemtionis pre-
tio, 3. gr.
d. 11. Novemb. 1664.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo
et Conſultiſſimo VIRO, DOMINO
JOHANNI THEODORO SIXTO de
OTTERSDORF, quondam Regni
Bohem. Senatori, Academiaeq Pragen-
ſis Carolinae Defenſori ac Promoto-
ri meritiſſimo suo Domino Fautori
Literarum ac Literatorum ut li-
teratiſſimo ita liberaliſſimo
hunc Libellum non tam effectu
quàm affectu aestimandum
honoris et obſervantiae
ergo ~~dat~~

Autor

PENSUM SACRUM
Metro-Rhythmicum,
CCLXVII. ODIS,
Ad Majorem
DEI OPT. MAX.
GLORIAM,
Studioſæ v. Juventutis
Gratiam,
denuò expanſum
expenſumq́;
Operâ & Studio
Tobiæ Hauſchkonii T. B.

No. 735.

GORLICII,
Apud Martinum Hermannum, 1648.

†

ECCLESIÆ, MATRI PIÆ,
PATRIS SUPREMI FILIÆ,
SPONSÆQUE CHRISTI
NOBILI
A SÆCULO IAM NUBILI,
SOLI PER HUIUS ASPERA
POLI PETENTI PROSPERA,
Penſum, CLIENS, hoc
DEDICAT, (PRÆDICAT,
CUM MATRE PATREM
ANGUSTA POST HÆC NUBI-
LA (LA;
AUGUSTA DANTEM JUBI-
ROGATVE, NE SE DESE-
RAT, (RAT!
OPEM SED APTAM DEFE-

SVſcipe deVotū, MATER Pia, ſuſcipe Votū,
Atq; Tui flentū nō immemor eſto Clientis.
Dent alii lauros, dent aurea munera, tauros,
Dent titulos magnos, dent fuſa metalla, Vel agnos.
Hic nihil eſt horum, nec egeſtas curta meorum
Hoc mihi concedit, ſed me nimis anxia ladit.
Carmine Te Veneror, non grandia munia Venor;
Te colo deVotus, cupio Tuus eſſequè totus.
Ne ſpernas Gnatū quoVis Tibi temporegratū.
Sim Tu9, ut reliqui, Patria qui limina liqui,
Exul, inops, nudus, crebris à fletibus udus:
Sed bene jam ſpero, ſub Te ſolatia quaro.
Tu quod das multis Phœbéo pectine cultis,
Et mihi ferre potes; quò ſic Tua facta nepotes
Commendent, cernant, non laVo lumine ſpernant.
Te DEUS objecit miſeris, fundamina jecis
In Te Virtutum, ſub Te bene ViVere tutum.
Tu Studiis polles, in Te ſunt flumina, colles
Artibus & Muſis, Martis formidine ſuſis.
Tu methodo formam, Tu ſternis ad AEthera normam,
Scripturæquè doces arcanas promere Voces.
Eſt Auguſta Fides Tibi cordi, dogmata rides
Tā furVa Gentis, quàm curVa ſomnia Mentis.
Lumina Tu Legū fers ſemper ad ardua Tecū,
Iuraquè ſic tractas, ab iniquo Iudice fractas
Vt monſtres cauſas, & damnes non bene clauſas.

Artibus in Medicis ſapienter, ut omnia, dicis,
Expendens herbas, non dulces ſicut acerbas,
Sed pro naturâ, ſublimi non ſine curâ.
In Sophicis tantū ſatagis præcellere, quantùm
Docta Chelys ſiſtrū præcellit, & Albis Elyſtrū.
Cetera quid memorem? potiùs Tibi Car-
mine morem
Iam gero, qui metam cupio decurrere latam.
Tu mihi fax auſûs, Tu tanti janua plauſûs,
Tecū mille ſonis REGEM celebrabo Sionis:
Quòd non ſis Mortis nec ſæva præda Cohortis,
Quòd flores, creſcis, quòd iniqua pericula
neſcis,
Cernere quòdq; potes Pietatis præmia, dotes.
Fuſiùs hæc tractant mea Cantica, donaq; jactant
(ſus.
Plurima, quæ IESUS dat, quamvis undiq; la-
Hac ſi Tu cantas, Pia MATER & Optima.
quantas
(dam?
Pro meritis grates tendam? quæ munera pen-
Neſcio, nec poſſum, nec ſi mihi fata refoſſum
Fundant theſaurum, dextro vel Apolline
laurum.
(prome
IOVA dabit pro me, modò Tu mihi parvula
Puncta Tui floris, monumentaq; pauca fa-
voris!

LE-

LECTORI & CANTORI
Lectiſſimo, Candidiſſimo,
εὐπράττειν καὶ εὐψάλλειν!

NVllum eſt dubium, Lector Chriſtiane, *Odarum Sacrarum uſum antiquiſſimum eſſe, neq; cum Hominibus demùm cœpiſſe; verùm ipſis etiam Angelis, ab omnium bonorum ac donorum* Autore DEO *inditum inclytumquè fuiſſe:* quem *ideò laudare ac celebrare dicuntur, Iob.* 38. 7. *Pſalm.* 103. 20. & 148. 2. *Eſ.* 6. 3. *Luc.* 2. 14. *Apoc.* 5. 11. *Et credibile eſt,* Adamum, *primum generis noſtri Parentem, inter ceteras præclaras dotes ſibi concreatas concreditasquè, pſallendi etiam artem, tanquam ſingularem Rationis & Orationis Humanæ partem, inſigniter calluiſſe, eandem coluiſſe, ac ſuis Poſteris colendam, non tollendam propoſuiſſe. (Vid. Epigraph. Chaldaic. Pſalm. 92.) Et quis inficias iverit, quam in Sanctâ progenie* Seth, *ſub Ejus Filio* Enos, *invocari cœptum ſit* Nomen IEHOVAE, *unà cum Sacris Concionibus, non etiam locum fuiſſe Cantionibus? Hinc, quaſi per manus, Succeſſoribus traditi tot Hymni, eos in cultu Divino eò ferventiores frequentioresq; reddiderunt. Vtq; nihil dicam hîc de Ductore illo & Doctore, immò Præceptore Præcentoreq; Populi Iſraëlitici,* Moſe, (*Exod.* 15. *Deut.* 32. *Inſcript. Pſalm.* 90.) *nihil de peritiſſimo ac*

de Eccleſiâ DEI *meritiſſimo Pſalmographo* Davide (*cujus aVidè aliàs mentionem facio:*) *ad* Ipſum Salvatorem Servatoremq; *Generis Humani* CHRISTUM IESUM *me converto*, qui *cum Diſcipulis ſuis in ipſiſſimo eoq; triſtiſſimo Vitæ diſcrimine conſtitutus, Hymnos cantâſſe legitur, Matth.* 26. 30. *Marc.* 14. 26. Quem *Chriſtiani poſt glorioſiſſimam* Ejus *ad Cælos Aſcenſionem imitati, non Precibus duntaxat uberrimis, ſed etiam Canticis ſaluberrimis ſe gratos* DEO *ſiſtebant, & huic tam præclaro ſolamento ac Fidei ſolidamento inſiſtebant: immò ad jugiter inſiſtendum, ſeriò ab ipſis inVitabantur incitabanturq;* Apoſtolis; *Epheſ.* 5. 19. *Coloſſ.* 3. 16. *Iacob.* 5. 13. *His Aboriginibus Sanctis ſuccenturiati PrimitiVæ Eccleſiæ* Patres, *fulgida illa ſinceræ Veritatis Lumina & Columina, nihil certè prius, nihil poſterius habuerunt* penſi, *quàm ut carmen* CHRISTO, *tanquam* DEO (*teſte Plinio Iun. ad Trajan. Imperat.*) *dicerent, collectumq; Fidelium Cœtum, noctu etiam, ſub intenſiſſimo illo & infenſiſſimo perſecutionum æſtu, docerent. Quin & poſteà, cùm è tenebris pluſquàm AEgyptiacis* Eccleſia *extraheretur, Phoſphoroq; Veritatis EVangelicæ, operâ* Iohannis Huſſii, *Martyris Bohemici, nec-non* Martini Lutheri, *Apoſtoli Germanici, reſtitueretur, annon pars iſta Doctrinæ Cæleſtis in abominabilem deVoluta abuſum*

(*nè*

(ne dicam abyſſum) norma etiam ac formæ priori fuit reddita? Et ne de Megalandro noſtro Luthero ipſiusq; Paraſtatis actum agam, conſtat certè B. Huſſium, non modò Scriptis ſuis (quorum pars duobus Tomis comprehenſa, & Noribergæ cum Elogio D. Lutheri edita fuit) Eccleſiam renaſcentem erudiiſſe, verùm etiam vivâ voce, tam Concionibus graviſſimis, quàm Cantionibus ſuaviſſimis, contra brutum furentis Antichriſti fulmen armâſſe animâſſeque: idq; partim Bohemicè ac Germanicè, partim etiam Latinè. Cujus veſtigia tenentes ac terentes Diſcipuli ejus γνήσιοι *complures (Academiæ Pragenſis quondam Filii,) non ineptè putârunt id ſibi negotii Cælitùs dari, quo potiores Fidei Chriſtianæ Articulos Odis certis comprehenderent, Scholisq; Evangelicis, non in Patriâ duntaxat, ſed alibi quoq; ſitis, communicarent; ut nempè, quod tum temporis docendo publicè præſtare non auderent, id cantando penſarent, futileſq; plurimorum, non Paſtorum, ſed Impoſtorum, Conciones per utiles hujuſmodi Cantiones refutarent. Et ſanè iſtius monetæ Cantica Sacra, cùm ſuperioribus Exſilii mei annis, inter tot motus ac metus, tot fluctus & luctus, fideliter colligere, Cantionaleque Academico-Evangelicum* καδδύναμιν *concinnare cœpiſſem, deprehendi tantam eorum copiam, ut*

non poſſint ſimul ac ſemel evulgari; præſertim cùm multa adhuc hincindè lateant, nonnulla verò in Tragico illo Bohemiæ caſu, ad Hoſtium infidas & invidas devenerant manus: de quibus ut vix ſperandum, ità de illis minimè dubitandum cenſeo, modò Sympathiota mei Chariſſimi nidulos ſuos ac vidulos excutere, mecumq; reliquias illas ſincerè velint communicare, facturi DEO *rem acceptam, Eccleſiæ non infrugiferam, poſteritati autem longè gratiſſimam.*

Interim ego, ne prorſus ſim ἀσύμβολος, *nonnullas hîc, partim à me, partim à Præceptoribus & Amicis meis (quorum Nomina cum Melodiis infrà patebunt) concinnatas Metro-Rhythmicas, variorum Generum, Odas propono, & quendam quaſi prægustum Tuo Candori,* Lector Christiane, *propino. Quem ſi Tu eo, quo datur, affectu ſuſceperis,* προθυμίαν; *tuam, in excuſandâ ſimplicitate propoſiti noſtri, effectu aliquo teſtatam reliqueris, videbis brevi, cum* DEO *& die, aliquot Suſpiriorum, Deſideriorum & Aphoriſmorum piorum Chiliadas, etiam Rhythmo-metrico ſchemate adornatas, quæ Tibi proculdubio (ut confido) arridebunt, & ſtimulum mihi ad plura talia audenda edendaq; conciliabunt.*

Vale feliciter, & Momi ſarcaſmis hoc telum objice:

Sit

Sit ſatis eſſe pium, ſi non licet eſſe diſertum;
(placent,
Namq; DEO chordâ plùs pia corda

Dreſdæ, prid. Calend. Ianuar. ſub auroram Anni cIↄ. Iↄc. XLIIX. quem ut Nobis omnibus fauſtum ac feſtum, ſanum & ſanctum, lautum ac lætum, felicem ac facilem largiatur EMANUEL, *Voto devoto mecum precare.*

Ad Eundem
Lectisſimum & Dilectiſſimum
LECTOREM.

PRaga quod *incepit*, Philurêa *probavit & auxit*,
Leucoreus*què ſuo fovit amore* Chorus.
Hoc *modò* Dreſdenſi Penſum *vulgatur in* Urbe,
Lucis & uſuram, Lector Amice, *videt.*
Sed videt haud alio, poſt longa ſilentia, fine,
Quàm laus ut SUMMI *creſcat in Orbe* DEI;

(5) Vi-

Vtque Iuventutis, tam duro tempore, Cætus
Dulce queat facili voce ſonare melos.
Annue propoſito, non abnue, Lector, *honeſto:*
Sic DEUS *optatis annuet* IPSE *tuis.*

T. HAUSCHKONIUS.

NB.

ODarum & Hymnorum à Poëtis Ethnicis decantatorum Genera ſunt diverſa, quorum multa ſatiùs eſt ignorare, quàm imitari. Chriſtianus Poeta S. Trinitatem *celebrabit, & ſingularum* Perſonarum *erga humanum genus beneficia, ubi materiam inveniet ampliſſimam, in Omnipotentiâ* Creatoris, *Miſericordiâ* Redemtoris, *Amore* Sanctificatoris, *&c. hoc eſt, imitari debet Hymnographos Sacros, quales fuerunt Moſes, David, Therapeutæ ſive Anachoretæ, Syneſius Cyrenæus, Hilarius Pictavienſis, D. Ambroſius, Paulinus, Beda, &c. Si quæris, in quem finem* DEUS *laudetur laudis noſtræ non indigus? reſpondet Scaliger: quia nos indigemus cognitionis* Ejus, *quâ fiamus* Ipſius *ſimiles, &c. Vide* Poëtic. Gieſſenſ. *Lib. 2 cap. 5* §.8.

Sapienter Divinus Plato, *cùm videret mores immutari cum Cantibus, ſeveras Muſicæ leges ſanxit, atq; prohibuit, ne quis quo vellet genere Cantionis uteretur. Id autem genus Muſicæ Vir ille ſapientiſſimus probavit, quo vel* DEI Numen *celebratur, vel Virtus Divinis laudibus ornatur, vel Clarorum hominum fortia facta referuntur.* Tympius in Mensâ Theolophilo *Part.* I. *pag.* 179.

Tynnichus *Chalcidenſis, Poëta ineptus, Pæanem tamen in Apollinem ſcripſit omnium*

Carminum reverâ pulcherrimum, quem ipſe vocavit Muſarum inventum, quaſi illum afflatu Dei, non arte propriâ, ſcripſerit. Quo ipſo putat Socrates, apud Platonem in Ione, Deum oſtendere voluiſſe, Præclara Poëmata non eſſe ex hominibus, ſed ex Deo nata. Zuinger. Volum. 4. lib. 3. pag. 1169.

Nicephorus, *ex Philone, Veterum Chriſtianorum mores & inſtituta recenſens, ait eos laudes* Dei *omni genere carminum atque rhythmorum compoſuiſſe & decantâſſe.* Hiſt. Eccleſiaſt. *l. 2. c. 16. & l. 13. c. 8.*

M. Adamus Roſacinus, *Profeſſ. quondam Pragenſ. in Præf. aliquot Odarum à ſe & aliis conſcriptarum, ita diſſerit: Rhythmicas duntaxat ſelegi, quia magis animum auresq; oblectant, & venuſtiores ſunt. Quid enim prohibet ad Thronum Gratiæ accedentes, hanc qualemcunq; venuſtatem interdum afferre? cumq; nos titulo Domûs Spiritualis & Sacerdotii Sancti ac Regalis dignetur* Ipſe Spiritus Dei *(quæ oſtentatio noſtra pia eſt, ne quis faſtuoſam putet,) & jubeat nos offerre Spirituales hoſtias acceptas* Deo, *per* Iesum Christum, *atq; canere cum gratiâ; quid obſtat, quò minùs id vel faciamus, vel facere tentemus, etiamſi non aſſequamur, quod ſcilicet Heroinæ & Regales filiæ faciunt, ubi in ſe Heroum & Regum oculos convertere ſatagunt, accuratâ veſtimentorum lautitie utentes,*

tes, ac identidem ſpeculum deformâ ſuâ conſulentes, humiles tamen, dejecta & proſtrata (qualis fuit Regina Heſter) in conſpectu Regiæ Majeſtatis apparentes? Dicet quis: *nos fœdis ſordibus pollutos eſſe: ambitione, contentione, odio inter nos diſſidere: intemperantiâ, ebrietate, aliisq; mendis ac vitiis* DEUM & *proximum offendere: quorſum ergo hæc hypocriſis?* Reſpondeo. *Omnino nihil eſt, cur nobis placeamus: ſed eſt, cur* DEI *benignitatem glorificemus, &c. &c. non eſt, cur timeamus, ne parum ſuaves ſint apud* Eum *melodiæ, rhythmi, & hymni, quos* Ipſe *dictavit, &c.* Sub Anno 1610.

Philippus Gallus, *SS. Theol. D.* in Prœloquio, Paraphraſi Pſalmorum Valent. Cremcovii, præfixo: *Fieri poteſt,* inquit, *ut interdum ex unâ Cantione piâ atq; eruditâ plus diſcas Theologiæ, quàm ex Concione, quæ non ſatis eſt nervoſa, &c. Tria quoq; ad quamvis Cantilenam, Veterum judicio, potiſſimùm requiruntur: Primò quidem ſententia gravis & honeſta. Deindè verò Rhythmus ſeu numeri, aptè & concinnè verbis ſententiam illigantes: Et tandem modulatio vocis, ſententiæ ac rhythmo congruens, vel gravis vel lenis, pro ratione vel varietate textûs, quam vulgò Melodiam vocant.*

Encomia Odarum Sacrarum Metro-Rhythmicarum operâ & ſtudio Tobiæ Hauſchkonii editarum.

NIl hoc Libello *doctius*,
Nil hoc Libello *pulchrius*,
Nil hoc Libello *terſius*,
Et nil eo politius:
DEI *celebrat* Gloriam,
DEI *canit* Potentiam,
Et prædicat Clementiam.
Viros Bonos *præconio*
Ornat, bonoquè encomio!
Libellus *ergo prodeat,*
Fructusquè multos afferat;
Vt publico ſit uſui
In ſæculum usque ſæculi!

Sic ultrò precatur
D. HOE.

NImbos exilium ſemper traxiſſe malorum,
Quæ

Quæ ſuper haud poſſit durior eſſe labor,

Teſtis es Euripides; ſed ſi res exigis æquè,

Quem fugat exilium corpore, mente vehit.

Teſtis es Iſaides, Lybicis qui ſyrtibus actus,

Iungere mente DEO, *carmina læta canis.*

Teſtis & Hauſchkonius, *patriis quem pellit ab oris*

Non ſcelus *aut ullum nobile* ſtigma mali.

Verus amor CHRISTI *Chriſtianum iuſſit abeſſe,*

Auſonii fugeret devia buſta Lupi.

Indè canit CHRISTO rythmos, cantando labores

Decipit, *exilium quos peperiſſe poteſt.*

Per-

Pergas, HauſchkonI, rythmorum nobile ſidus,
Inquè polo, inquè ſolo præmia magna manent.
Interea, Lector, *ſi* CHRISTI *thyrſus* Amoris
Cor quatit, Hauſchkonii carmina docta colas.

Pietati Hauſchkonianæ, quam bonis commendatisſimam eſſe cupit, f. αὐτοσχεδιαςὶ

JACOB. WELLERUS,
D. Seren. Elect. Sax. à Conſil. Eccl. & Concion. Aul. prim. ac Confeſſionib. Sacris.

ARtes omnis alit tellus, tibi copia victus
Larga erit, HAUSCHKONI, nam ſatis arte vales.

Qui

Qui pius eſt, illum non ſors premit indiga cenſûs;
Tu pietatis amans, ergo ſat æris erit.

Αὐτοσχεδιαστὶ Dreſdæ
PAULUS RÖBERUS,
D.Prof.Paſt.& Super. general. Witeberg.

Ari POETAS *ſcimus in hunc diē, & comperimur non ſine tædio, omnē ſuam qui conſecrârunt* Thyrſigero Veneriq; *venam.*
Sic dantur æquè, carmine queis lubet cantare Martis *prælia: gentium mores: peregrinationes, actaquè, factaq; Præpotentum,*
Contrariaris talib9, HAUSCHKONI, *Chriſtiane Vates, Vatibus. Unicum Tu nam ſoles mactare* JOVAM

con-

continuâ celebratione.

Penſum *fatetur largiùs id* Sacrû,
plenum, quod Odis *Melpomene tua*
mecum ; modò communicavit.
Dispeream! niſi mirer huius
felicitatem, ſtrictiùs ultimis,
penultimis ac antepenultimis
in ſyllabis, rhythmis, ſuaquè
ſponte fluentibus eminentem.
Hinc expetitum ſæpè deoſculor
hoc munus: illo recreor affatim,
unâque tam ſancti laboris
flagito continuationem.
Te Jovah *rerum ſoſpitet arbiter:*
det ſanitatem: grata det ocia:
cum pace det longævitatem,
& ſuper aſtra beatitatem!

M. Joseph. Clauderus,
P. L. C. & Eccleſiæ Alten-
burgenſis Symmyſta.

Do-

DOnaſti mihi melleũ Libellum,
Immò verius aureũ Libellum,
Immò, quod magis; Entheũ Libellũ,
HAUSCHKONI, Clariæ Decus Catervæ,
HAUSCHKONI, numeris potens & arte.
Quid reddam tibi? ME reſume TOTUM.

QVis Tecum; HauſchkonI, certet? quem SPIRITUS Ille
Entheus in Rhythmos animat; cui lactea Vena eſt;
Cuius voce loqui Charites, Menteſq; beatæ
Gaudent: qui tantas & tot, tam ſuaviter, Odas
Clauſiſti vario Rhythmorum ſchemate: Mundus,
Si non ingratus, mirabitur: ipſa futura
Poſteritas recolet. Qui tecum hoc lemmate certet
(Cam-

(Campano excepto, paucis aliisquè Poëtis)
Vanus erit: quin ceu Pica improba garriet inter
Aut niger, argutos, crocitabit Corvus, Olores.
Par tibi nullus erit, ſi ſic perrexeris; Immò
Iure tibi palmam quivis & porriget herbam.

Ita ſentio, & quidem ἀνυπόκριτος, Tui amantisſimus

ADAMUS ANDREÆ,
p.t. Scholæ Chemn. Rector.

CArmina docta canunt multi celebresquè Poëtæ,
Eximiæ properant ſcandere laudis iter.
Carminibus placeant mundo, Lauroquè triumphent:

Sum-

Summa DEO *laus eſt qui placuiſ-*
ſe ſtudet.
Scit pia Muſa DEO *tua Docte placere* Tobia;
Carmina docta canis, carmina ſacra canis,
Carmina, queîs celebras, pia, nocte dieque JEHOVAM,
Dulciaque, ingenii non ſine laude tui.
Campani exemplo, Metris Rhythmisque ſuävis
Facta DEI *laudas, exhilarasque pios:*
Cantandoque oras, penetras piè & æthera threnis,
Artem dasque piis, quâ ſua damna levent.
Inſpice in adverſis, pie Grex, *hæc Cantica ſacra,*
Invenies, quâ te parte levare queant.

Si.

Sive tuis nocuit graſſator finibus hoſtis,
Non aliâ meliùs pellitur hoſtis ope.
Expulſum Patriâ ſi te ſors aſpera pungit,
Hinc tua ſoleris triſtia fata, licet.
Pauperie premeris, domus eſurit, urget egeſtas?
Invenies, à quo Copia fonte fluet.
Ignibus eſt abſumpta domus vel cara ſupellex?
Invenies, tibi qui reddere plura poteſt.
Prole, Maritâ orbata domus tua luget acerbè?
Indè melos luctum dulce levare poteſt.
Si fueris triſtis, licet hinc ſedare dolorem,
Aut hunc in magnam vertere lætitiam.

De-

Debilitant vires, cruciant & corpora, morbi?
Hinc veniet morbis certa medela tuis.
Spicula mors, Satanas, mens conſcia criminis, urget?
Indè DEUM *ſupplex conſule; tutus eris:*
Delicti veniam; ſic ſalvus eris, petè, crede
In CHRISTUM, *grates votaquè redde* DEO.

M. TOBIAS ADALBERTUS VODNIANUS.

HAuſchkonii *Libellò*
Hoc optimò atque bellò
Vix credo cultiorem,
Vix credo ſanctiorem,
In publicum exiiſſe,
Caputquè protuliſſe.
Hinc quis neget, Camœnas,

Et

Et Gratias amœnas,
Quin FLAMEN *Entheatum*
NUMEN*què ter-Sacratum*
Hauſchkonio *favere,*
Eiusquè Cor fovere?
L. Mquè ſubjecit
M. ADAM. TÜLSNERUS.

ODE I. Προσφωνηματικὴ, pro devotione in precibus excitandâ, ad DEUM PATREM, CREATOREM.

„*Principiū, Mediū, Finemq;* Iehova *coronat*,
„*Fataq; multiplici cū fœnore proſpera donat*.

IN JEHOVA *ſpem locavi*,
Meq; totum conſecravi,
Tam BonoPARENTI,
Curā mei ſemper gerenti.
E*rgò fas eſt*, Hunc *rogare*,
Ut velit lingvam rigare
SPIRITU Superno,
Verbo Suoq; *ſempiterno.*
H*oc die ne qvid moleſtè,*
Cuncta ſed tractē modeſtè
Atriis in Ejus,
Ne deviem ſubindè peius.

O Theatra fauſta, *Cœtus*,
In qvibus DEI *quietus*
Cantat, orat, audit,
Præſentiâ DEI*q; plaudit!*

V eritas *ibi vigeſcit,*
In dieſq; culta creſcit;
Falſitas recedit,
Nec unicum proterva lædit.

A *d* beatas *haſce* ſedes,
Ac viæ perennis ædes,
JOVA *duc vagantes,*
Fac laudibus Tuis *vacantes!*

D *igna redde corda noſtra,*
Ut Tibi *Sacrata Soſtra*
Pro Salute *demus,*
Ferventiùs quã nunc ſolemus.

E *ſto* noſter, *ut fuiſti,*
Hactenusq; profuiſti
Cœtibus Tuorum
Sequentium Te Servulorum.

UNI-

UNITATE TRINITATIS
Notus Es Tuis Beatis
In Polum receptis,
Noſtrisq́; Jova Summe *captis.*
S*is* Patronus *porrò cunctis,*
Spe, Fide, Favore iunctus,
Donec ad canoras
Totaliter feremur oras, Amen!

ODE II. ad DEUM FILIUM, REDEMTOREM.

„ *Reſpicit et recipit ſuſpiria noſtra* Redẽtor,
„ *Eſtq́; mali, quod nos angit tangitq́, perẽtor.*

I*Nter omnes Omnium labores*
Summus eſt is; ut decenter
ores;
Ergò MAGISTRUM,
Qui *regas te, quære ſæpè*
CHRISTUM.

 Ejus

Ejus ore *profluit* Sacrato,
Quod queas ſequi vigore gra-
Nec dubitare, *to,*
Si velit quid Spē tuā gravare.
S*anxit* ILLE formulam pre-
candi,
SE PATREM*què ſemper invo-*
FLAMINIS *auſu,* *(candi*
Qui *iuvat te ſubſequente*
plauſu.
U*na quamvis illa ſit brevisquè,*
Non ſed eſt inutilis levisquè,
NUMINE *plena*
Corda reddens in malis ſerena;
S*ingularis* Ejus *eſt Voluptas,*
Fiat ut PATRIS Sui *Voluntas,*
Sicut in Aſtris,
Sic & in noſtris ubiq; caſtris.
C*ontinenter* HUNC *rogabis ergò,*
Ut repellat cūcta damna tergo,

Et

Et tibi præſit,
Corrigatq́ quicquid usq́ læſit.
HOSPES ILLE *vult venire* gratꝰ,
Si quis ILLUM *diligat beatus,*
Cum PATRE *blando,*
SPIRITUq́ *perpetim ſonando.*
R*ebus aſperis levamen aptat,*
Dum quis Ejus *æquiore captat*
Pectore NUMEN,
Et Salutis optat usq́ Lumen.
Invocandi *quam reliquit* Artē,
Eius amplam te ſubire partem
Vult ſine fraude,
Cū ſuâ *ſed hinc fluente* laude.
S*emper ergò, ſingulis in horis,*
Seu domi ſis, ſeu Poli ſub oris,
Funde precatus,
Et JEHOVÆ *ſis ubiq́ gratus.*
T*endet illud in tuum iuvamen,*
Si frequenter applicabis AMEN

Ad tua vota,
Pravitate funditùs remotâ.
U*ndiquaq; tui9* HOC PATRONO
Impetrabis corde cunctâ prono
Quæ modò poſces, *ſces.*
Quod favore *ſubſequente no-*
S*ic probatus & paratus Aſtris*
Ibis ex his ad Superna *caſtris*
Gaudia *ſursùm,*
Finiens hâc manſione curſum!
AMEN.

ODE III. ad SPIRITUM SANCTUM, CONSOLATOREM.

„*Semper agit lætus, quē dirigit hic* Paraclet9.

P*Erpes, ô* Amor DEI,
Aura PATRIS *Enthei,*
Oro, ſis memor mei!
A*d Tuum ſupplex Thronum,*
Lenitati conſonum,
Curro, TE *quærens* Bonum:

Red-

R*edde me Charum* Tibi,
indigum Sacri cibi,
Denegas quem nullibi,
A*bsq;* TE *quivis perit,*
Qui Docentem præterit,
Improbèq; ſe gerit.
C*onſcientiam gravat,*
Qui piacla non lavat,
Lacrymis nec cor cavat.
L*æta cuncta ſed capit,*
Qui Magiſtro TE *ſapit,*
Non Polo Styx hunc rapit.
E*videnter huic præis,*
In laboribus regis,
A periculis tegis.
T*riſte ſi quid ingruit,*
Non eum redarguit,
Nec latenter obruit.
U*nus eſt ei Scopus,*
Ne DEI Verbum *tropus*

Faſcinet, quo non opus.
S*implici proin Fide,*
Quæ capit, Te Præſide,
Spe tenet non deſide.
S*ic ſubit rectà Polum,*
Vile deſerens Solum,
Vanitatis Symbolum;
P*erpes &* DEUM *videt,*
Cum Beatis aſſidet,
Gaudiumq́ poſſidet.
IOVA *me talem* Tibi
Redde, nam TE *nullibi*
Abnegavi ſpe cibi.
REX *es &* JUDEX *Soli,*
Fac, cadant ut diſcoli,
Quos mali ſerunt, doli.
I*n* Tuo Solamine
Entheoq́ Famine
Stent meæ res, ô ſine!

Tu

Tu mihi clemens fave,
Ac Tuo nutu cave,
Ne quid accidat grave:
Ut Tibi *ſic ſerviam,*
Nec morer proterviam,
Hoc in Orbe perviam,
Sempiternis laudibus
TE *canens in Cœtibus*
Et Choris fidelibus. Amen!

ODE IV. ad SACROSANCTAM TRINITATEM.

„*Nemo poteſt* TRIADOS *myſteria maxima noſſe,*
„*Ac ſimul in terris ſine Cœlo vivere poſſe.*
„*Quòd* DEUS *eſt, ſcimus;* quid *ſit, ſi ſcire velimus,*
„*Suprà nos imus: ſed quòd ſit* Summus *&* Imus,
„Ultimus *&* Primus, *ſcimus; plus ſcire nequimus.*

SACROSANCTA TRINITAS,
Principalis UNITAS,
Cùm ſonaris laudibus
A Tuis fidelibus,

Audias preces pias,
Tolle curas noxias;
Speſq́; noſtras collige,
Diſplicentes corrige.

Corde Patrio vide
Stemus hic ut in Fide,
Ac teramus orbitam
Non magis reconditam.

Rector Alme *Gentium,*
Te, PATER, *timentium,*
Quid rependemus Tuæ
Charitati *mutua?*

Obtuliſti FILIUM
Ob Bonum *mortalium,*
Vendicans ſic nos Tibi
Iam ligatos nullibi.

S*ingulari munere*
Nos præis, quum funere
Illius *ſanas, beas,*
Sauciosq́; recreas.
AGNE *Mitis & Pie,*
Plurimæ Tuæ viæ
Dant Piis ſolatia
Ex PARENTIS *Gratiâ.*
N*oſtra pendis debita*
Quum Draconi dedita
Corda ſubtrahis Bonus,
Deſtruisq́; trux onus:
C*umq́; Mors remanſerat,*
Quæ miſellos torſerat,
Morte *mox* Tuâ *ruit,*
Nec magis necem ſtruit.
T*anta præſtas hactenus,*
Quanta vix noſtrum genus
Prædicare ſufficit;
Non tamen Spe deficit.

Ante PATREM *nos* TUOS
Dic clientes cernuos,
Impetra nobis Polum,
Quando linquemus Solum.

Ter *Benigne* SPIRITUS,
Ne ſit ardor irritus,
Quo Tibi *nos tradimus,*
Et precamen addimus!

Redde nos probos, pios,
In viam duc devios;
Nec ſinas ab exteris
Conteri nos dexteris.

In malis frequentibus
Te Ducem *ſequentibus*
Semper adſiſtas propè
Nos Tuâ *levans* ope.

Ne repellas à Tuis
Brachiis *nos arduis,*
In quibus, dum vivimus,
Plurimùm confidimus.

In labore nos rege,
In pavore protege,
In rigoribus fove,
In vigoribus move.
Tempera molem crucis,
Ut viam CHRISTI *Ducis*
Ambulemus aptiùs,
In dies apertiùs.
ALMA TRINITAS, DEUS
Præpotens & flammeus,
Compleas precum vices,
Audiasq́ ſupplices!
Sic Tibi *cedet Melos*
Hic & inter Angelos,
O Perennis UNITAS,
SACROSANCTA TRINITAS!

ODE V. De Verbi DEI æternâ veritate, ac verâ æternitate.

„ Verbum Vol∇e DEI, ſpernunt quod in orbe Typhœi:
„ Hoc tibi nam Fidei fons erit atq; Spei.

VERBUM Parentis Cælici
Per omne durat ævum,
Licèt Satores bellici
Putent id eſſe lævum:
Proindè dira quævis
Hinc-indè ſævis
Cient procellis,
Vt horridis bellis
Id *ſupprimant ſuperbè.*

DOlos tamen tales DEUS
Nefariosq; faſtus,
Vires viresq; flammeus
Frangit, vafros & aſtus;
Sinit nec eſſe caſos
Vel fraude læſos
Suos fideles:
Sed vult ut Hoc Cæles
Cunctis Bonum *pateſcat.*

MI-

MIraculis tot editis
Servatur Hoc ſupernè,
Et Hoſtibus coërcitis
Triumphat æviternè.
Hoc ergò Vos notetis,
Qui fortè fletis,
Quòd nunc prematur:
Nàm, ceû DEUS fatur,
Oportet illud eſſe.
NIhil nocebit hoc Piis,
Sed proderit deinceps;
Hos namq; palmis obviis
Benignus Ille Princeps
Fovebit allevatos,
SIBIq; gratos,
Verbo ſerenans,
Et impetûs frenans,
Quos ater audet Orcus.
MAlignitas ſi qua nocet,
Verbum relaxat illam,

Et falſitatem dedocet,
Subdit Roſaq́; ſquillam,
Hypocritas refellit,
Luposq́; pellit,
Se mentientes,
Ovesq́; terrentes,
Sub Hæreſi protervâ.
NET*orpeamus, ô* Mei,
Sed Illud *ambiamus,*
Ac indè filios DEI
Nos dicier ſciamus:
Vt audiamus aptè,
Quæ flat ſuaptè,
Vngitquè cunctos
Periculis punctos,
Solatiisq́; firmat.
IN*ignis indè profluit*
Fructus Beatitatis,
Et cum Salute *congruit,*
Quam dat JEHOVA *gratis*

Credentium Catervis,
Pacisq; *nervis,*
Sub Veritate,
Quam pertinax Ate
Impugnat impudenter.
Æqualis ô PATRI TUO,
Vitæ perennis Autor,
Qui *nos Amore mutuo*
Moves monesq; Fautor,
Da ſcire Verba Vitæ,
Ac TE *peritè*
Laudare poſſe,
Ac ſemitam noſſe,
Quæ ducat ad quietem.
TER*rena cuncta Mors rapit,*
Verbum Tuum *perennat.*
Felix per Hocce *qui ſapit,*
Et carnis auſa frenat!
Hunc dirigis libenter
Dans continenter

Te-

Tecum manere,
Nec ampliùs flere
Mortalium labores.
NUMEN Tuum *quod hîc fide*
Credebat & colebat,
Cernet deindè fervidè
Nec ceû priùs ſolebat;
Sed cum Choris Bonorum
Ut Angelorum,
Sic & Tuorum
Turmis Beatorum,
O ſim ſequax Eorum! Amen.

ODE VI De Eccleſiæ Evangelicæ jugi Felicitate.

„*Non Mundi mores* eccleſia *Vult, ſed Amores*
„*Ac meritum* CHRISTI, *quod opem dat tempore triſti.*

E*Ximiæ ſunt*, CHRISTE, Pacis
ædes,
Veritatis *candidaq;* ſedes:

Cæ-

Cœtum,
Queis beas quietum!

C*orde fideli* Mens *cupiſcit ire,*
Ac ſub ædes haſce pervenire
Læta,
TEq; Rege *freta.*

C*antibus almis hic piè ſonaris,*
Et ſub ipſis prædicaris Aris
Verbo,
Non tono ſuperbo.

L*egibus æquis hic Pii fruuntur,*
Ac Salutis rebꝰ *inſtruuntur*
Spontè,
Absq; labe ſonte.

E ntheus ardor *cogit hic fre-*
quentes
Vota multa dedicare Gentes
Linguis
Invicem propinquis.

Sunt

S*unt ibi Veris nuncia volantes,*
Paſſeresq́ geſtiũt vagantes
Nidos
Hic habere fidos.
I*gne Superno recreantur iſti,*
Qui ſub Orbis pravitate tri-
Mentem ſti
Posſident rigentem.
A*nxia Corda non ibi paveſcunt,*
Sed frequenti lenitate ſve-
Curas ſcunt
Temperare duras.
EMMANUELEM TE *colunt* be-
nignum,
Et favoris undiquaq́ ſignũ
Edunt,
Vatibusq́ credunt.
V*erbera non hic extimeſcit ullus*
Gratię Tuę *tenax homull9,*
Dentes

Nec

Nec Stygis furentes.

A*uribus omnes hauriunt* Tuarũ
Sanctionũ *flumen arduarũ*
Venis
Svavitate plenis.

N*emo reſiſtit* Urbis hujus *actis,*
Sed receptis mitibusq́ pactis
Quivis
Vult manere Civis.

G*randia cuncti* jura Charitatis
Hic ſequuntur, ſubq́ Verita-
Vitæ tis
Iubilant cupitè.

E*ia, quid usque* Mens *moraris*
ergò,
Cur remoto terreo parergo
Non te
Mergis hocce fonte?

L*inque ſuperbis hui9 Orbis auſ9,*
Et require, quos ab Axe
plauſus *Po-*

Poſcis,
Optimosq́ noſcis.
I *nſidiarum nil timeto caſſes,*
Angelorũ ſed repoſce claſſes,
Quarum
Eſt Celeuſma clarum.
CHRISTE *iuvamen fer* Benigne, *quaſi*,
Antichriſto perfidoq́ cæſo,
Cætum
Fac Tuum *quietum.*
A uxilio *ſic nos* Tuo *levati,*
Offeremus vota mille grati
Mente
Non magis gemente.
Amen!

ODE VII SÆCULARIS εὐκτικὴ καὶ εὐχαριστικὴ, Anno 1630. Iubileo, VVittebergæ decantata.

„Can-

„ *Cantetur* Magni *Clementia Summa* Tonantis,
„ *Sternentis faſtu tumidos, humileſquè levantis!*

A *uguſtæ Superaquè* RECTOR *Arcis*,
U *t nos diligis! ut foves, reſarcis!*
G *ratanteſq;* Tibi *facis clientes,*
U no Te DOMINO *ſuperbientes.*
S *erva nos ita porrò, nec reſiſte*
T *ot clamoribus, ô* Benigne CHRISTE!
A TE, *quicquid habemus, eſt profectum,*
N *ec quicquã ſine* TE *quit eſſe rectũ.*
A TE *noſtra Salus reperta manat,*
C *or ægrumq;* Tuo Cruore *ſanat.*
O *ffenſus licèt haud ſemel fuiſti,*
N *on in muneribus ſed auxiſti!*
F *elices ſumus ob Tuum Laborem,*
E *x quo colligimus pium Favorem.*

Sic,

S ic, ſic nos Bonus *usquequáque*
ſerva,
S *ors ne diſtrahat obvios proterva!*
I *n TE fidimus indigi, miſelli,*
O *rantes reprimas ut acta Belli!*
V *erax es DEVS; AEquitatis Vltor,*
E *xactor Pietatis, atq; Cultor:*
R *ex es noſter, & omnium Creator,*
I *nventor Veniæ, Crucis Levator;*
C *oncedas igitur ferasq;* Pacem
H *ornã, perpetuam,* Boni *feracem!*
R *ecto tramite da ſequi* Parentes
I *n* Cauſis Fidei *dolis carentes.*
S anctæ *commoda* Veritatis *extùs*
T *eſtes ſint Studii,* Sacerq; Textus
I *nter nos micet, Hæreſesq; vellat,*
A *Templisq;* Tuis *Lupos repellat.*
N *octes atq; Dies in hoc teramus,*
I *ntentasq; preces* Tibi *feramus.*
S *pes* Tu *noſtra manes,* Tuæ *vi-*
gemus *Mor-*

Mortis ſubſidiis, & his egemus.
I *n nobis habitare ne recuſa*
S acræ Juſtitiæ *domo recluſâ.*
U *bertate Solum beare perge,*
Mendacesq; Deos ubiq; merge.
Majeſtas Tua *ſic in Orbis oris*
A *ugeſcet, ſine terminis & horis!*
Amen.

ODE VIII. SÆCULARIS

πανηγυρικὴ καὶ ἐπαινετικὴ.

„ *Erigit ut preſſos* DOMINUS *releVatq; jacentes:*
„*Sic affligit humi reprobos, faſtuq; tumentes.*

A*D Novos adeſte Cantus,*
Et videte IOVA quantus!
Quàm fovet Pius piam
Eccleſiam!
C*onfluant licèt Tyranni,*
Ceû tot eloquuntur Anni,

B Ex-

Excitentq́ prælia
Crudelia.

At quid, aut quàm magna præ-
ſtant!
Vix miſellis antra reſtant,
In quibus pœnas luunt
Dum corruunt:

Dumq́ Cœtus ille CHRISTI
Non poteſt in Orbe ſiſti;
Sed viret diutiùs,
It tutiùs!

Ergò talibus vacate,
Et frequenter invocate
Ceù ſoletis, flammeum
Regem DEUM:

Martios repellat auſus,
Ut ſequatur indè plauſus
Gaudiumq́ mentibus
Gementibus!

In-

I *nnovata namq; rerum*
Claſſis, expetit ſeverum
Veritatis *Indicem*
Ac Vindicem;

A *ntequam ſequatur ingens*
Judicantis *ira, ſtringens*
In malos malas cruces,
Graves, truces!

L *argus eſt IEHOVA cunctis,*
Sed magis nitore *iunctus*
Veritatis, *&* piæ
Concordiæ.

I *nter omnes Nos benignè*
Diligit, raptos ab igne
Corruentis Cerberi
Trucis, feri,

P *ro quibus ſonemus* Illum,
Vnicum qui nec capillum
Vult perire, caſibus
In talibus,

S*ublevat* Bonus *cadentes*,
Promovet domo carentes;
Eſt Salus, honor, cibus,
Fidelibus,
I*lle fraudes inquietas*
Brachio potente fretas
Vertit in ſuos Heros
Lupos meros,
E*xſtat* hujus Artis *Uſus*,
Sæpè quo fuit retuſus
Impetus frementium
Tot Gentium!
N*amq;* Verbi *Luce latâ*
Corda *protulit* beata,
Quæ tenebras pellerent,
Refellerent,
S*æculum videmus eſſe*
Evolutum, nec deeſſe
Veritate *præditos*
Paſſim ſitos.

IOVA ſolus *iſta curat,*
Æviternum *SEq; iurat*
Eſſe PATREM, parvulos
Nos ſervulos.

S*ingularis ardor* Ejus
Hinc patet, quòd ira peius
Ire non valet Proci
Reciproci.

M*ulta Saculo ſub iſto*
Cepimus, favente CHRISTO:
Plura nos manent pios
Non devios.

A*cta* Cæſaris *loquuntur*
Caroli, *vel quæ ſequuntur,*
Quàm DEVS proſit ſuis
In arduis!

T*erra* Teutonum *beata*
Volve tanta mente gratâ!
Te IEHOVA diligit,
Ac dirigit.

E*n dat, id quòd confiteris!*
Hinc vocatur & ſeveris,
Hæc DEI conceſſio
Confeſſio!
R*oma ſævit, ardet, urget,*
Viribusq; freta turget;
Execratur hoc Decus,
Brutum pecus.
S*ed nihil facit minando,*
Nil Pios abominando,
Nil poteſt per verbera
Fax aſpera:
T*ū quòd AEquitas* TONANTIS,
Impedit maris ſonantis
Impetus, tum noxiam
Ferociam.
U*t fatemur id vel ipſi*
Quos Bonus *ſub hâc Eclipſi*
Gratiâ ſuâ *fovet*
Ac promovet.

DAN-

Danda porrò ſumma cura,
Fata ne cruenta, dura,
Opprimant Gregem DEI
Fuco Spei!
Ingruunt pericla paſſim,
Præparant palamq́; claſſim,
Hinc Iberus, hinc Scytha;
Horreſcite!
Omnis horum cura. Cœtus
Vt ſacer *ruat, repletus*
Mole, morte, caſibus,
Ceû caſſibus.
Regna concidunt ſubacta,
Nec tenèntur ulla pacta!
Iura Gentium latent,
Fraudes patent.
Undiquaq́; flos Bonorum
Carpitur, nec apta Morum
Suſcitatur regula,
Viget gula!

Mars triumphat & niteſcit,
Indidem ferusq́ creſcit;
Fine non magis bono,
Sed diſſono.

Excitat graves tumultus,
Vndè terror eſſe multus
Aſſolet, ſub mentibus
Timentibus.

Turbines reducit ortos,
Deſtruens agros & hortos
Vineasquè, fortibus
Cohortibus.

Sed tamen reducat, eſto!
JOVA *nobis* eſſe præſtò
Pollicetur, conſcià
Clementià.

Turcicos retundit ictus,
Nec ſinit, Grex *derelictus*
Ejus *ut ſit ſub Cruce*
Carens Duce.

Vn-

Undè Nos id intuendo
Cautiusq́ rem gerendo,
HUNC *rogemus cordibus*
Concordibus:

Det piam Pacem *rogatus*
Suiq́ noſter Advocatus;
Pellat omne nubilum,
Det iubilum!

Impleat bonis Regentes
Patriamq́ *protegentes,*
Et regat Pius Piam
Eccleſiam!

Omne, quod poteſt nocere,
Tollat, & bravéa veræ
Det Salutis, *Cœtibus*
Fidelibus,

Sit procul nefas, quieſcat
Hæreſis, magisq́ creſcat
Ejus *hæc conceſſio*
Confeſſio!

O *rnet hanc* BENIGNUS AVTOR,
Tutor, Actor, atq; Fautor,
Roboretq; perviâ
Concordiâ.
R *ixa nulla præbeatur,*
Nemo nam per hanc beatur;
Non Fides *revertitur,*
Sed perditur.
U ſus Artium *frequentem*
Cernat Orbem ſe ſequentem,
RVTA *ſit ſibi ſavens*
Nihil pavens!
M agna Lux *abindè manet,*
Quæ tenella corda ſanet,
Fulcra præparans Choro
Vt & Foro!
P atrium Bonum *pateſcat,*
Nec Malum plùs invaleſcat;
Sed ruat cum turpibus
Autoribus.

Im-

I*mpium fatiſcat Omen,*
Teutonum *ſed acre* Nomen
Terreat vim Gentium
Frendentium.

O*bruatur ſpes maligna,*
Nec ferat trophæa digna;
Nec triumphet, ut ſolet,
Nec ut volet!

R*auca ſit dolum ſerendo,*
Clauda prælium ferendo;
Veritas *eam premat,*
Ne ſic fremat!

U*mbra quævis turbet illam;*
Hinc Charybdin, indè Scyllam
Sentiat, malis nitens
Nec pænitens.

M*agna* Laus *ſequetur indè,*
Concinens JOVAM *ſubindè,*
Nunc in hoc quidem Solo,
Poſt in Polo! Amē.

ODE IX. SÆCULARIS ἐγκωμιαστικὴ καὶ δοξολογικὴ.

„*Tanta DEI Vis eſt, Sapientia tanta* Tonāris,
„*Vt nequeat pangi numeris mera mella ſonantis.*

A Mæna *prodiit* Dies,
Iucunda quâ datur quies,
Mortalibus probis, piis,
Devotioni-perviis.

C*ollata fulgent munera,*
Probata per tot funera;
Renata plaudit Vèritas,
Denata flet Severitas.

A*deſte corde cernui,*
Vitâ decente ſtrenui,
Litate victimas precum,
Dantes ſonum forinſecum!

D*icenda læti dicite,*
JESUM *ſonare diſcite;*
Hoc unico Solatio

Di-

Diteſcat omnis Natio:
En Sæculum *iam præterit!*
In quo licèt Satan ſerit
Sceleſta queq; Schiſmata,
Doloſa per Sophiſmata:
M*anet tamen* DEI *Seges*
Conferta, quam pii greges
Colunt, favente Numine,
Dio repleti Lumine.
I*neſſe talibus licet!*
JOVÆ *miniſtros ſcilicet;*
Rebellis eſt qui negligit
Decus nec illud eligit.
A*mica corda perſonent,*
Gratumq; carmen intonent!
REDEMTOR *id ratũ feret,*
Doloſq; Martis conteret.
V*ocatus* ILLE *fit propè,*
Haud irrità levans ope
Greges ſuos, quos diligit,

Dîoq́ Flatu *dirigit.*
I *ntremus ergò dum patent*
DEI *Theatra, nec latent,*
Sonemus iſthoc Carmine
DEUM, ΛΌΓΟΝ, *cum* FLAMINE:
T *er* Magne *Cælitum* Sator
Grataquè Gratiæ Dator,
Nos ſupplicantes adſere
De fauce Sortis aſperæ.
T u *Solus* es *Potens* HERUS,
JEHOVA *Grandis & Merus,*
Peccata Tu *remittere*
Dignaris omnibus ferè:
E *mpti ſumus* Tuâ Cruce,
Gravi, potente, non truce:
Vitâ fruamur ut piè
Ductu Salutis obviæ.
B eata *certè* Gens *ſumus,*
Efferre quòd TE *poſſumus,*

Sub

Sub his feris tumultibus,
Modis piis & cultibus;
E*x* TE *fluunt hæc ſingula,*
Amana Verbi *Regula*
Recepta, non iam claudicat,
De TE *ſed ampla prædicat.*
R*ecolliges* Tu *quod perit,*
Atrasquè fraudes quas ſerit
Baal ſceleſtus proteres,
Pacis*què* Jura *proferes.*
Germana *nempè* TE Fides
REX præpotens, *cùi præſides,*
Fideliter quærit, vocat,
Maliquè terminum rogat.
E*mitte* SPIRITVM Tuum
ILLVM Magiſtrum *mutuum?*
Addat levamen Gentibus,
Lumenquè noſtris mentibus.
N*il Antichriſtus audeat*
Iniquiùs, nec gaudeat

Si-

Sicut priùs, ſed in ſuis
Malis fatiſcat arduis!
S*it in cachinnum Poſteris*
Votis ſuis præpoſteris;
Notetur atro calculo
Maturiori Sæculo!
I*n* TE PATER *confidimus,*
Malum quod usq; vidimus
Tollatur! affluat Bonum,
Martemquè ſiſtat diſſonum!
S*ic* TE *perenni carmine*
CHRISTUM*què cum* SPI-
RAMINE
REX MAGNE *quilibet colet*
Mortalium, plus quàm ſolet!
Amen.

ODE X. SÆCULARIS

διηγητικὴ καὶ δεητικὴ.

„ConCVrrat feX, neX! ECCLEsIA non erIt eXLeX;

„Le-

„ *Lege* DEI *nIXa nIhIL obſVnt IVrgIa, rIXa:*
„ *NIL StyX, nIL pIX, nIX, faLſo nIL peCtore CornIX.*

Lux *feſta*, *fauſta* Lux *nitet!*
Cuius Pios *haud pœnitet*;
In hac SALVTIS Jus *datum*
Nobisquè relatum,
Cantemus ergò ſinguli,
Sub fine Primi Sæculi,
Ob VERITATIS *aureum*
VERBI*què trophæum!*
Quis credet iſthæc omnia?
Forſan putabit ſomnia,
Quæ facta ſunt ſub hoc Polo
A NUMINE ſolo!
Ex falſitate Veritas,
Ex fraudibus Sinceritas,
Lux *è nigrore fit mero*,
Monſtrante LVTHERO.
Res mira! caſſi lumine,

Vi-

Vident, favente NUMINE,
Muti loquuntur & canunt,
Claudi benè vadunt.
Delubra pigri deſerunt,
DEOquè grates deferunt,
In Luce *quòd ſe iam vident,*
Idolaquè rident.
Rudes fuêre qui priùs
Inſtant Sophiſtis acriùs
Illuminati SPIRITV
Prædivite ritu.
LUTHERUS *ille Vir* DEI,
Verbi*què Doctor* Enthei,
Commenta protulit foras
Has miſſa per oras,
Abominata ſuſtulit
Papæquè faſtum perculit,
Verbo DEI, *non Verbere,*
Vi Cælite verè.
Hinc ergò Mundus *excitus*

Ne-

Nefarios exercitus
Produxit, ut reſiſteret
Gnatisquè caveret.
Gloſſas minatus igneas
Ut Conciones cygneas
Vetaret, impetu gravi;
En Pragmata Pravi!
Sed nil LUTHERUS *horruit,*
Qui miſſus à DEO *fuit:*
Hunc dixit Hussus, *ſpe pari*
Non poſſe cremari.
Audite plura, ſi placet,
Non noſtra cauſa *ſic iacet,*
Ut non queamus dicere
Hæc talia verè.
VERBI *Lucerna ſplenduit*
CONFESSIO *dum fronduit*
Per Orbis huius climata,
Hâc Arte renata.
Primùm quidem Germanica
Fuit,

Fuit, ſubindè Danica;
Sed maximè Bohemica,
Cæleſtis *Amica.*
Svecus *recepit hanc pius,*
Anglus, Polonus; *ſed priùs*
Gallus, Britannꝰ, Ungarꝰ,
Et Vangio *clarus.*
Multa fatentur Inſulæ,
Quin & Papales Infulæ
Potentiam VERBI DEI;
Horrete Typhæi!
Et quis referret ſingula
CONFESSIONIS *vincula?*
Quis VERITATIS *organa*
Tam dulcia, ſana?
Beatus ille ter quater,
Verbo JEHOVA *quē* PATER
Illuminat, fovet, regit,
Hic dum benè degit!
Rogemus EJVS FILIVM,

Ut

Vt tam decorum Lilium
Pergat rigare SPIRITV,
Cæleſtequè ritu,
Si grando, ſi nives ruant,
Imbresquè ſi fors ingruant,
Incommodi nihil ferant,
Nec qui malè ſperant.
Seratur inter perfidos,
Plantetur inter invidos!
Virtute *contrahat Roſas*
Hinc indè peroſas,
Nil æſtuans Canicula,
Nil garriens Cornicula
Moleſtiæ creent, ſato
In divite prato.
Vt nos ſub ejus *ramulis*
Velut ſub almis palmulis
Tuti queamus vivere
Pacem*què videre!*
Fac id REDEMTOR, *ut ſoles,*
Mar-

Martiſquè tela dum voles
Sævos repellas in Scythas,
Falſosquè Levitas.
Sic fiet, ut TE *noſcitent,*
Nec ampliùs reſuſcitent
Iuſti furoris impetum,
Non vulnera, lethum.
Sic fiet inſuper quies
Per mille perpetes dies;
Non hîc quidem ſed in Polo
Sub NUMINE Solo! *A.*

„*Enthea* Relligio *viret, æternùmq́ vireb.t,*
„*Et cũ* veridico CHRISTI Sermone *vigebit,*
„*Delta donec erit formis obnoxia miris,*
„*Vel teſtis fidæ mediis in nubibus Iris.*

ODE XI Fidelium cohortium, ad conſtantiam ſe cohortantium.

„*In* CHRISTI *laudes aſſurgite, nãq; canoris*
„ *Eſt dignus Pſalmus, Oans dignusq; decorus.*

Chri-

Chriſtiani Milites
Veritate culti,
Ceû DEI *Satellites*
Eſte quæſo fulti
Non profanis moribus,
Sed labore CHRISTI,
Qui nequit doloribus
Nec rigore ſiſti.

HVNC *ſequi Vos diſcite*
In neceſſitate,
Et iugales ſiſtite
Hâc ſub Æquitate:
IPSE *Vobis porrigit*
Optimam ſequelam,
Ceſpitantes corrigit
Exhibens medelam.

R*es quidem moleſtior*
Eſſe iudicatur,
Si quis hîc modeſtior
Nequiter trahatur

Ama-

A malorum cœtibus
In pericla mille,
Inquè Mundi retibus
Torqueatur ille:
I*d tamen negotium*
CHRISTVS Ipſe *iecit,*
Dum ſuos per otium
Haud iacere fecit;
Offerens Victoribus
Perpetem Coronam,
Calicis vigoribus
Hos beare pronam.
Summus *etſi* Conditor
Eſſet ILLE *rerum,*
Haud volebat portitor
Mellis eſſe: verùm
Mortis aſperæ, trucis,
Quam lubens ſubivit;
Inſolentis iam Crucis
Per trophæa *vivit!*

Ta-

Talis ut ſit, expedit
Cuilibet Piorum,
Qui favente iam redit
Huc DEO *Deorum:*
Non timebit aſperos
Dæmonis rigores;
Sed videbit proſperos
Numinis *vigores.*
Invaleſcat ſi malum
Nil nocebit illi,
Per Solum vel per Salum
Si venena Pſylli
Convehant, crudelibus
Vel Scytha ſariſſis
Fulminent, fidelibus
Vndiquaq; ſciſſis.
Angelos ſuos DEUS
Quippè deſtinavit,
Vtq; murus Entheus
Sint, id ordinavit

Omnium ſequentium
SE ſuum*què* Verbum,
Atq; perſequentium
Veiovem ſuperbum.
N*on pigebit nos Viæ*
Huius, aut laboris,
Dum cohortes deviæ
Corruent, furoris
Vt luant pœnas ſui
Criminisq; claras;
Nos Poli ſed ardui
Conſequemur aras:
U*niemur hic* DEO
Cælitum PARENTI,
FILIO*q; melleo*
Corde nos foventi,
SPIRITU cujus *ſumus*
Invicem ligati,
QUO *iuvante poſſumus*
Hunc *ſonare grati:*

Surg-

Summe; *dicentes*, PATER
Nos Tuos Clientes
Ah! rogamus ter quater,
Contuere flentes,
Et Tuo Solatio
Sæpe recreatos
In Poli Palatio
Fac Greges Beatos! Amen.

ODE XII. Παραιτητική, Defenſoris Eccleſiæ, Hoſtium fraude in ſummas anguſtias compulſæ; ſcripta An. 1631.

„ *Impiꝰ ut morũ Mars eſt ars parsq; malorũ:*
„ *Sic etiam ſit* PAX *Artis ubiq; capax!*

Gentes gementes undiquaq; currite
Vobisq; iam ſuccurrite,
Pectora conterite!

Ge- Unus

Unus *relictus eſt* Scopus *gementium*
Verum DEUM *quærentiū*,
Grande velut precium;
Sint ut parati, ſint fideles, ſint boni,
Sint Veritate *ſyntoni,*
Sint precibus reſoni.
Tales oportet Vos *manere, nec feris*
Præbere cauſas inferis
Criminibus miſeris.
Ad ipſiusmet *ergò Vultum* Numinis,
Ad Templa Sancti Luminis
Ite, ſed absq; minis.
Votis vacate, vota ſuſcipit Deus,
Qui Soſpitator Entheus
Eſt ſine fine Meus,

Eli-

U*biq, nēpè* Me *tuetur*, Me *regit*,
Sibiq́ *de multis legit*,
Inſidias retegit.
S*i ſurgit* Hoſtis *copiiſquè ful-
minat*,
Metas ei determinat:
Supplicium geminat.
A*n nō probaſtis, & notaſtis talia?*
Per Nos peregit qualia?
Cernite mox alia.
D*efenſor* ILLE *noſter eſt & Ar-
biter*,
Is *Nos tuetur largiter*,
Et placidum dat iter.
O*remus ergò*, Talis *ut ſit ſingulis
His & futuris ſaculis*,
Omnibus Articulis.
T *itemq* ipſi *victimas cū fletib9*
[illegible] *Cætibus*,

PATER Supreme *iam Benignus reſpice,*
Hoſtiúq; fraudes diiice,
Nos timidos refice.

H*orremus auctas Antichriſti Copias*
Sævas, feroces, impias,
Perfidiaq; vias.

U*ſu docemur absque* TE *Nos proditos,*
Et prorsùs eſſe perditos,
Quamlibet immeritos.

S*uccurre Nobis, ſupple vota ſupplicum,*
Da Cor Tuis heroicum,
Hoſtibus horrificum!

REX Es Supremus, *Inferorum fac Duces*
Quas meruêre truces.

Se-

Secura PAX *ſit angulis in omnibus,*
In Curiis, in Manibus,
Inq; piis manibus.
Vincatur omnis Impiorũ factio,
Diſcorsq; deliratio,
Ceſſet inops ratio.
Exoſa multis germinet Concordia,
Nec turbet Hanc *Vecordia,*
Nec magè ſint odia!
Cãtabimus ſic & ſonabimus Tuas
Protectiones *arduas;*
Non fatuas ſtatuas.
In omnibusquè prædicabimus locis,
Aris, Sacellis & Focis,
Iugiter absq; iocis.
Æterne Tu *Nos interim* REX
AEtheris

Fac intereſſe proſperis
Agminibus Superis! A.

ODE XIII Συμβολική, Herois Pientiſſ. contra Hoſtes Eccleſiæ animosè pergentis.

„*Haſtis crebreſcat, ferveſcat & enſibus Hoſtis,*
Infractus ſit equus, ſit cataphractus eques;
„Nomine *nos* CHRISTI, *contraria, tempore triſti*
Agmina calcamus, carmē Biq; damus.

CŪ DEO *pergā, via quā pateſcit,*
Armisq; cum Victricibus,
I*mpetꝰ Cœlo datꝰ haud quieſcit*
Panis potens ultricibus.
TU *mihi* JESU *modò Fautor eſto,*
In omnibus periculis,
O*pto* TE Solum; *citus ò adſto*
Mihi, Meisq; ſingulis.

Ver-

☞ UT vult JEHOVA, *ſic volo,*
Stat nolle fluctuare,
Quamvis amara me Solo
Crux tentet edomare.
JEHOVA (*certò quod ſcio*)
Duras vices levabit:
Ductore tali *prævio* *(bit?*
Quod me malum grava-
☞ *Vt* vult JEHOVA, *vult mea*
Mens obſequens ubique,
Nam ſe probari felleâ
Scit ſorte corripiquè.
Probatur, ut viriliter
Fatis reſiſtat atris;
Abſit, recuſet nequiter
Præſtare iuſſa PATRIS.
☞ *Vt* vult JEHOVA, *vult meum*
Cor audiens Tonanti,
Cùi *robur eſt aheneum*
Quis pugnet æſtuanti?

Vis nulla vincit Numina:
Quid hîc potes ſtemendo?
Vincenda dura ſarcina;
Vincenda ſed ferendo.
☞ *Vt* vult JEHOVA, *ſic eat:*
Quidvis feram decenter.
Nam quid fremam? quid tædeat
Hæc ferre me libenter?
Dies JEHOVA *ſcit meos,*
Quid me Cor inquietas?
Montes per aſpros, ſcrupeos,
Iuſſas adibo metas.
☞ *Vt* vult JEHOVA, *ſic mea*
Sic res eant, licebit.
Fer mentis ardor enthea
Quicquid DEUS *iubebit.*
Stet ferre quidvis fortiter
Vt dulce ſic amarum.
Spectante me benigniter
DEO, *ſit acre carum.*

Vt

V erba *Me firmant* Tua *tàm benigna*,
Queîs polliceris præmia,
E *rigant ſi qui* Tibi *ſigna digna*
In hâc Soli vindemiâ;
N *on pudor tinget facies eorum,*
Non Hoſtis obruet metu,
I *mpius terror nihil Atheorum*
Suo nocebit impetu.
D *ira ſi vexent alios pericla,*
Hi ſemper immunes erunt,
O *ptimo niſu reprimendo ſpicla,*
Et tela, quæ mali ferunt.
M aximũ *ſolùs* genus *hoc* Bonorũ
Caſtris datur Fidelium,
I *n quibꝰ fervor probitasq́; morũ*
Servatur haud rebellium.
N *os ſinas tales fieri,* Redemtor,
Et fac ubiq; proſperos;

E *ſto morborũ ſcelerũq́;* demtor,
Caſusq́; tollas aſperos.
I *mpera Bellis, ſubitò quieſcant,*
Vel congruant Legi Tuæ:
E *xſules luctu magè ne rigeſcãt,*
Sed Patriæ *proſint ſua!*
S *ic* Tui cultꝯ *celebres patebunt,*
Et Vera *creſcet* Æquitas:
U *ndè præfracti gravibus ſcatebunt*
Panis, & horũ pravitas. A.

ODE XIV. πληροφορικὴ, S. Martyris Johan - Friderici, Elect. Sax. è Germanicâ utcunque facta.

„ *Cuncta* Voluntati PATRIS *committo* Supremi,
„ Huic *mea Vela patent motiq́; per æquora remi.*

Ut

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
H abeto Munde res tuas
Graves, moleſtas, arduas!
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
A vare Munde cur fremis?
Cur aggravas Me? cur premis?
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
N ihil potes tuis dolis,
Queîs uteris pro Symbolis:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
N ihil valent omnes viæ,
Quibus tumeſcis impiè:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
E normitatis es ſeges,
Diutiùs nec Me reges;
Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
S*ecuritatem vis dare*
Cùm ſis tumultuum mare?
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
G*audere tecum neſcio*
Periculorum praſcio;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
E*xpande Munde copias*
Tetras, truces, & impias:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
O*dêre te Pii Duces,*
Qui ferre Me docent cruces;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
R*eſtat tuas relinquere*
Fraudes, & Aſtra quærere:

☞ *Vt* vult JEHOVA, *ſic mea*
Sortis regat carinam;
Luces redibunt aureæ
Poſt nauſeam marinam.
Pellentur atra nubila
Surget dies ſerena,
Surgent cupita iubila
Fatiq́; lux amana.
☞ *Vt* vult JEHOVA, *ſic meis*
Stet terminus diebus.
Metam PARENS *& ferreis*
Praſcripſit ILLE *rebus.*
Hoc noſtra Mens fundamine
Sta nixa, ne vacilla.
Quid te Benigno Numine,
Terret mali favilla?
☞ *Quod* vult JEHOVA, *me iuvat,*
Nec his malis gravabor,
Cùm me PARENS hîc *adiuvat,*
Haud ſub labore labor.

Me Mors avara cum fame
Atrâ premat, licebit.
(Auſim paciſci) palma me
Malis ſub his manebit! A.

ODE XV. Παραμυθητικὴ, è Symbolo Chriſtianiſſimo, JOHANNIS GEORGII, Electoris Saxoniæ, &c. Scripta Anno 1631.

„*Cui* CHRISTUS Scopus *eſt, opus eſt* Hunc *noxia ferre*,
„*Quæ nectunt Hoſtes furioſa monſtraq; Terræ.*

IN arduis rebus meis, *(is?*
Cur, quæſo, Chriſtũ *Mens præ-*
Phil. 3 Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
v. 14. *Scit Ipſe quicquid eſt opus.*
O parce curis! ô mea!
Tot caſuum cùm ſis rea;

Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Gaudete Mecum Vos Pii,
Queis diſplicent ſpes Impii!
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Iniuſta paſſim germinant,
Nec quid boni determinant:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Ubiq; clamor it Polo
Expreſſus improbo dolo;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Sincera plangunt Dogmata:
Reiecta per Sophiſmata:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Sedeſ.o plangunt! non magis
Plangunt ſub his feris ſagi;

Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
A deſte, quæſo, ſimplices;
DEO *Supremo ſupplices:*
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
X erxis ferocis impias
Nihil timete copias!
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
O rate, ne magis fremat,
Sub Pace ſed victus gemat:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
N olite damna pendere,
Si vultis Alta ſcandere;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
I n hoc Solo parùm boni,
Multùm ſed usq; diſſoni:

Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Ætas & Æquitas perit,
Beatus, hic qui cor terit!
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Parate iam vias DEO,
Qui proruet velut Leo:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Requiret in cunctis Fidem
Probans eos identidem:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Iuvemus ergò Proximos,
Sic parvulos, at Maximos;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Nihil moremur hic moras
Morum, nec amplas anchoras;

Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.

CHRISTUM *ſequamur ut* Ducẽ,
Pro quo feramus & crucem;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.

Eiâ! Beatus ſic ero,
Si fortè tales videro;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.

Palàm fatebor Vos meos
Manere Fratres palmeos;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.

Sit interim PAX *aurea*
Proſitq; Nobis hæc Dea!
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
[illegible]

Exurge Mens, & cogita,
In quo gradu ſis nunc ſita:

Chri-

Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Lætare quòd crucem feras,
Nomenq́ Martyris geras;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Egreſſa de tot retibus
Chriſtum *canas in Cætibus;*
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Contemne ſi quid hîc nocet,
Nec te retrò Sors avocet:
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
Tacete Vos ſenſus mei,
Arrham fovete ſed Spei;
Chriſtus Meæ Vitæ Scopus
Scit Ipſe quicquid eſt opus.
O CHRISTE, qui *ſcis omnia,*
Da PACIS *hic Solemnia!*

Quum

Quum ſis Meæ Vitæ Scopus,
Fer quæſo, queîs vides opus.
R*ecolligas Me cum Meis,*
Et parce non parùm reis,
Sic Te Meæ Vitæ Scopum
Cantabo, ſic Epiſcopum! Amen.

ODE XVI. Παραινετική, è Symbolo pientiſſimo ſapientisſimoq́;
JOHANNIS GEORGII, Ducis Saxoniæ, &c. F.

„*Spebus ubiq; probis placeant* Cæleſtia *nobis,*
„ *Inq;* DEI placito *Mens requieſce citò!*

A*nnon* JEHOVÆ quod placet Ter Maximo,
Placere nobis *iure debet optimo?*
JEHOVA *quippè noſter eſt, qui nos* Sibi
Nõ iure tantũ vendicat dati cibi;
Sed quòd creavit *nos levi de pulvere,* *Ver-*

Verbiq́ paſcit hîc ſonantis ubere:
Tum quòd redemit FILII *nos* Sanguine,
Suiq́ Flatûs *roborat* Solamine.
Cur non *proindè* quod placet *noſtro* DEO, *leo?*
Nobis placeret *absq́ faſtu fel-*
Nam cuncta quæ ſunt, quæ fuerunt, vel magis plagis,
Futura tandem ſunt in his Orbis
Nutu reguntur Optimi PATRIS DEI, thei.
Ejusquè Flatûs *nos foventis* En-
Is novit ipſa cogitata mentium,
Novitq́ praxin ſingularum Gentium. Maximo,
Quare JEHOVÆ quod placet Ter
Placere nobis *iure debet optimo.*
Quid nos miſelli, quid ſumus? quid eſt DEUS?

Eſt

Eſt nempè Regum REX, *&* ardor
igneus. *Somnium*
Nos bulla, culmus, pulvis, umbra,
Rerumq́; paſſim vaniores omniū,
Nequit facultas noſtra, quod
vult, aſſequi, *exſequi,*
Sed nec voluntas quod requiris
Annon proindè quod placet Summo DEO,
leo?
Nobis placere *debet auſu mel-*
JEHOVA *certè nil facit, quod*
Gloriam
Nō ſpectet Ejus, *aut Poli victoriā:*
Vult namq; ſalvos eſſe nos ſuos
Greges, *ſeges.*
Et vult ut ampla ſit Beatorum
Nullum repellit à Salutis Gratiâ,
Dignatur omnes ſed ſuâ Clementiâ,
Quis ergò Velle *nō probaret hic* Dni?
Quis

Quis non abindè ſumeret baſin
ſpei? *rimi,*
In Orbe paſſim ſed tamen ſunt plu-
Quamvis videri poſtulent ſacer-
rimi, *& abnuunt*
Contra DEUM *qui murmurant,*
Si quid ſecùs fit quàm velint;
proin ruunt
In mille caſſes, inq; claſſes hoſtiū;
Quin imò ſæpè ſub Stygis trux
oſtium.
eatus ergò velle cûi placet DEI!
Nam publica fit gnarus & ſua rei.
Si quod periclum corpus eius ob-
ruat, *ti fluat,*
Memor ſit, indè quòd bonum Men-
Si fortè totus Orbis eſſe deſinat,
Conſtantia ſe promptus ille de-
ſtinat,
Iobiq; verbis dicit: Ut DEO meo
D Pla-

Placet, placebit *& mihi Servo reo.*
Sit ergò Nomen Ejus, *ô ſit, inclytum,*
Quod antè cuncta ſacla fulſit indi-
tum! Amen.

ODE XVII. Ἐμφατική, è Symbolo auguſtis-ſimo. AUGUSTI, Ducis Saxoniæ, &c. Archi-Epiſcopi Magdeburgen-ſis, &c.

„*Quæ mihi nunc præſtas,* TRIADOS *Vene-randa* Poteſtas, *perdunt.*
„ *Me ditem reddunt, contraria cunctaque*

A*Nnon Beatos ſe putant,*
Qui lucra multa ſupputant?
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Num. 18. v. 20. Pſalm. 16. v. 5.
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

Vtan-

Utantur iſti commodis
Et mille gaudeant modis!
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.
Grandes acervos hi ſtruant,
Cenſuq; Craſo congruant;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.
Unganturiſti ſuaviter
Et uniantur acriter:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.
Sint qui ſuperbiant bonis
Hinc inde parti Mammonis;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.
Tegantur iſti murice
Cultu relicto ſimplice:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

U*ltrò ſequatur hos decus,*
Honor, poteſtas, & pecus;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

S*int his ſuperba prandia,*
Sint pòcla lauta, grandia:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

D*ent his clientes munera,*
Pro queis petant & funera:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

U*ſura ditet hos palàm*
Famemq; reprimat malam;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

X*erxem vel æquent cenſibus*
Vel antevertant ſenſibus:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

Sint

S *int hisce Silvæ, prædia,*
Sint fauſta ſemper prælia;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

A *more plebis hi fluant*
Opesq; multas eruant:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

X *anthum peritiâ ſuâ*
Iſti refutent arduâ;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

O *rationibus catis*
Hi ſuccinant Paraſtatis:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

N *ihil ſit iſtis aſperum,*
Sed omne ſanum, proſperum;
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.

I ngens ſit hiſce copia
In rebus amplis obvia:
Mihi *ſed* Alma TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas.
Æ quentur, in ſummâ, Diis,
Sint in Poli præludiis:
Mihi *ſed* Almā TRINITAS
Eſt *cenſus ac* Hereditas!

ODE XVIII. Παρηγορική, è Symbolo jucundiſſimo CHRISTIANI, Ducis Saxoniæ, &c.

„*Si tua cuncta*, DEoq; dieq; *faventibus, urges,*
„*Alta petes certò, ſupraq; pericula ſurges.*

* CUm DEO dieq; *natus*
Ventre Matris prodii,
Spiritu Sanctó renatus
Has vices cuſtodii.

Cum

* Cum DEÓ dieq́; *vixi*
Hactenus feliciter,
In Sacrâ pedesq́; fixi
Semitâ velociter.
* Cum DEO dieq́; *vivam*
Vt decet, diutiùs,
Providentiamq́; Divam
Invocabo tutiùs.
* Cum DEO dieq́; *pergam*
Quò vocor divinitùs,
Conſcientiamq́; tergam
Sordidatam primitùs.
* Cum DEO dieq́; *curſum*
Inchoatum perſequar,
Iugiterq́; corde ſursùm
Elevato Spem ſequar.
* Cum DEÓ dieq́; *fundam*
Vota more debito,
Exeram fidemq́; mundam
Ore Cælis dedito.

* Cum DEO dieq́; *tangam*
Patrium cor Numinis,
Supplicíq́; mente pangam
Gratiam Spiraminis.
* Cum DEO dieq́; *Verbum*
Veritatis aſſeram,
Vltus Hoſpitem ſuperbum
Spemq́; fraudis aſperam.
* Cum DEO dieq́; *ſiſtam*
Quicquid invidi ferunt,
Detrahamq́; fronte criſtam
Quam furenter exſerunt.
* Cum DEO dieq́; *fungar*
AEquitate Patriâ,
Maximis Viriśq́; iungar
Gentium per Atria.
* Cum DEO dieq́; *totus*
Excitabor ad Decus,
Quo ſiem ſubindè notus,
Ceû fidelis; haud ſecùs.

Cum

∗ Cum DEO dieq́; *certum*
Impetrabo gnaviter,
Quo coroner ipſe Sertum,
Hic & illic ſuaviter.
∗ Cum DEO dieq́; *tendam*
Ad triumphos acriùs,
Moxq́; Soſtra grata pendam
Singulis alacriùs.
∗ Cum DEO dieq́; *pandam*
Clauſtra proximis meis,
Fortiterq́; Templa ſcandam
Cum coronis palmeis.
∗ Cum DEO dieq́; *Pacem*
Impetrabo melleam,
Et manum Proci rapacem
Vimq́; frangam felleam.
∗ Cum DEO dieq́; *ductum*
Aſſequar Concordiæ,
Intuens manare luctum
In caput Diſcordiæ.

* Cum DEO dieq́ꝫ cernam
Veritatis oſtium,
Ferre Cælicam Lucernam
Inter arcus hoſtium.
* Cum DEO dieq́ꝫ *belli*
Perditam protervïam
Hinc probabo poſſe pelli,
Per Sacram Iuris viam.
* Cum DEO dieq́ꝫ *fructu*
Qui ſequetur perfruar,
Vt queam carere luctu
Nec furenter arguar.
* Cum DEO dieq́ꝫ *fortis*
Perferam moleſtiam,
Nec timebo tela mortis
Nec ruentem Beſtiam,
* Cum DEO dieq́ꝫ *metam*
Aſſequar ſub Æthere
Patriam petens quietam
Suaviori funere. Amen!

ODE

ODE XIX. Ἐυχαριςικὴ, è Symbolo aptiſſimo amplisſimoquè
MAURITII,
Ducis Saxoniæ, &c.

„Proq; DEO ſi proq; meo *data pēſa moVebo,*
„ *Annon ſat diVes fortunatusq; manebo?*

✠ UT pro DEO Meoquè *promtus, audiam,*
Hanc intono Melodiam:
DEUS Creator eſt Meus, *Pios fovens movens,*
Meum Bonumquè pro-
Illũ *proindè concinam decentibus*
Et Canticis recentibus.
✠ *Vt* pro DEO Meoq; *fortis audiã,*
Hanc duplico Melodiam:
DEUS Redemtor eſt Meus, *Pios regens*
Meũ Bonumq; protegens.

Illum *proindè mille laudibus feram*
Nomenquè faſtis inſeram!
✠ *Vt* pro DEO Meo*què gratus audiam,*
Hanc triplico Melodiam:
Illuminator *eſt mihi* D E U S *meus*
Idemquè murus flammeus.
Illum *proindè feſtis evebam ſonis*
Pro mille præſtitis bonis.
✠ *Sic* pro DEO Meo*què curis deditum*
Neget quis Aulæ *debitum?*
Aulæ perenni, *qua diu fidelibus*
Patet parata Cœtibus!
Hanc *quippè tanquam* Patriam *nunc appeto,*
Hinc gaudiorum ſpem meto.

In

✠ *In rebus arctis hinc traho ſolatia,*
Hinc manat in me Gratia,
Quâ *me* DEUS *Ter Optimus, Ter Maximus,*
Mihi Meisquè proximus,
Certò beabit, & ſolutum casſibus
Adſciſcet Almis Claſſibus;
✠ *Ut* pro DEO Meo*què me ſic ſedulum*
Sciant fuiſſe Credulum,
Ut perpetim gaudeam, nec quid MEUM
Dicam magis, præter DEUM.
O fiat illud, ò JEHOVA *cũ voles!*
Sic grata poſcit Indoles! Amẽ.

ODE XX. Εὐκτική, pro Sereniſſimâ Domo Saxonicâ, ejusquè Regimine, tam Eccleſiaſtico quàm Politico.

„ *Queis faⱱet, hic* tutam *facient Sacra Dogmata* RUTAM.

R*ex* CHRISTE, quo *nil Sanctius*
Nec uſpiam Potentius,
Ad TE *levamus Corpium*
Belli timentes ſcorpium:
Eccleſiam *fove* Tuam,
Manumquè tende mutuam,
Ne glutiatur vortice,
Succurre Sacro cortice!
Hoſtes feri Tyrannicos
Aufer metusquè panicos,
Proſterne forti *NUMINE*
Inſonte potos ſanguine.
SEPTEMVIRUM Saxoniæ
Partis Patrem *Sioniæ*
Duc præpotenti Dexterâ
Cum Filiisquè *proſpera!*
Cor illius *probum tene*
Semperquè flectito bene,
Tri-

Triumphet ut frequens, fave!
Præſtare non eſt id grave.
Qui Curiæ *præſunt, rege,*
Imosquè cum Primis tege,
Dicant Tuum Jus jugiter
Æquum colantquè firmiter.
Rempublicam *ceû tegmine*
Velato Verbi *Semine;*
Vterq; Sexus, & Senes,
Parvi, Viri, ſint Te penès.
Sacrum Tibi DEUS *Chorum*
Committimus, Tibi *Forum:*
Tu *ſis Patronus, Arbiter,*
Tutela, Portus, Presbyter.
Diffringe Martis robora
Pacata donans tempora,
Vt TE *colamus in Solo,*
Tandemquè lætemur Polo! Am.

ODE

ODE XXI. Παραινετική, ad Gratias DEO referendas, pro beneficiis tam ſpecialibus quàm generalibus.

Scripta Anno 1639. Eccleſiæ Dresdenſi Iubileo.

„*Ènter, præſenter,* DEUS *eſt & ubiq; potenter;*
„ *Eſt ſuper* omne DEUS, REX DOMINUSq; meus.

D*evota* MENS *poſt tot moras*
Speiquè fixas anchoras
Votum precesquè (ſuadeo!)
Reddas DEO
Amore Cujus *ardeo.*

NB. Anagramm Dresda, reddas *cujus Nomen hic initio Strophàrum expreſſum eſt.*

R*efècit* ILLE *me Suo*
Cruore, quem non exſuo,
Sed torquis inſtar præfero
Sub aſpero
Mundi ruentis Heſpero.

Ejus

E jus *favore praditus*
Non eſſe poſſum perditus;
Licèt ferox Satan fremat
Et cor tremat;
Graviquè morſu Mors premat.
S *ervire nempè debeo*
Huîc *tam* Bono *DEO meo,*
Et ILLIUS *concredere*
Me DEXTERÆ
Non aſpera, ſed proſpera.
D *ic ergò* Mens, *dic blandiùs,*
O JOVA, quo *nil grandius*
Nec in Polo, nec in Solo,
Fac me doló
Carere poſſe diſcolo.
E *n, trado res* TIBI *meas,*
Quas per Catervas flam-
Tuere, ſerva, ſuſtine! meas
Nam TE *ſine*
Fit nil in Orbis cardine.

Ni-

N*ihil Viri vires valent*
Vtcunq; plurimùm calent,
Fati Tuo Nutu *via*
Fit pervia,
Cadit furens protervia.
S ALUTIS *abs* TE FONS *fluit*
Preſſumquè pectus proluit,
Tollens ſitim gravem pio
Solatio,
Ceù noſtra vult Oratio.
I *n* TE *repòſta* Spes *piis*
Auget pavores impiis,
Quos nil malorum pænitet,
Nec enitet
Fides, *precum thus ut litet.*
S *i quæ* TIBI *ſeveritas,*
Annon ei ſecuritas
Cauſam miniſtrat inſolens
Malum volens,
Nec TE Redemtorem *colens?*

RE.

REDEMTOR ES *credentium,*
Morem TIBI *gerentium,*
Hos ſublevas, his annuis
Non abnuis,
Sint vel ſub Orci ianuis.
E*xempla ſunt illuſtria*
Quàm ſit potens induſtria
DEXTRÆ TUÆ, *quã congruens*
Haud corruens,
Nec ceſpitantes obruens.
SACRÆ *docent nos* PAGINÆ,
Fidelium propagine
Quòd ALME gaudeas DEVS;
Hinc Entheus
Grex TE *colit, Voti reus.*
P*orrò tuere ſic Tuos,*
Vivos fac, & non mortuos,
O CHRISTE, *vitæ Phoſphore*
Pro tempore
Luſtres in hoc nos corpore.

Vnum

Unum DVCEM TE noſcimus,
Proindè crebrò poſcimus;
Ducas TUUM nos ad SCOPUM
Horoſcopum,
Pandens Polos plenos opum.
Beatior non eſt modus
Nobis magisq́ commodus,
Quàm TE ſequi per avia
Rectâ viâ
Ad fercla Cœli ſuavia;
Luctu carent ubi Pii,
Nec ampliùs ſunt devii:
Sed perfruuntur Patrio
In Atrio
TE gaudii Parario.
Iucunditas hæc proſpera
Vitæ ſub huius veſperâ
Vt compotes reddat ſui,
Quin & Tui,
FILI PATRIS fac Ardui!

Com-

Commiſimus quidem malum
Et multiplex hîc ſcandalũ,
Nam ſapè quæ promiſimus
Omiſimus
Dotes datas amiſimus!
At pænitet nos criminis,
Ah! pænitet diſcriminis,
Quod indè iam iam profluit
Nos obruit,
Pœnasquè debitas ſtruit.
Vide PATER, vide Bonus
Illud premit quod nos, onꝰ,
Tuæquè preſſos aſſere
Vi Dexteræ
De valle ſortis aſperæ.
In hac enim periculis
Circumdati ceû pergulis
Belli Charybdin ſpernimus
Quam cernimus,
Et nos ab hac ſecernimus.
Vah,

V*ah, quàm Sacra* Pacis *Bonum*
Tuis Statutis *conſonum*
Demum miſelli plangimus!
Nec tangimus,
Mentem magis ſed angimus.

A*t* Tu *vales hac ſingula*
Adflictionum vincula
In commodum convertere,
Nec ſtertere,
Cùm vis pios defendere.

T*ibi proindè fidimus,*
O da, malũ quod vidimus
Mutetur in Bonum ſtatum
Cælo ſatum,
A PATRE *luminum datũ!* A.

EPIGRAMMA Autoris ad DRESDAM, cùm Ei dedicaret præcedentem Odam.

R*Eddas* DRESDA DEO, reddas *Sacra thura,* Potenti!
Lumen ut à Superâ proſperitate feras,

Red-

Reddas DRESDA *etiam* cûivis *ſua jura* pe-
Nomen ut à ſerâ poſteritate geras. tenti!
Sed reddis (*Video*) reddis DRESDA Inclyta
utrumque; *habes.*
Non Vanum ergò Tui Nominis Omen

ODE XXII. De rarâ & præclarâ Reipub. Wittebergenſis prærogativâ.

„*Creſcit ubi Pietas ſinceraq́; Gloria* IOVAE,
„ *Illa poteſt Solymes Vrbs Soror eſſe Nova.*

Quàm ſit beata, quàmquè fauſta
Leucoris, *qui foris.*
Plùs novit intùs qui manet, quā
Sedes Honoris, Officina Palladis
Suis venuſtis atq; proſperis vadis; *Parens*
Morum Palaſtrá, dulcis Artium
Fuco doliſq; pervicacibus carens.
Carthago magna, Roma ſed maior cluit,
At nil eis dos hæc ſuperba profuit.

Vtram-

Vtramq; Noſtra præterit longiſ-
-ſimè ximè.
Ab omnibusquè prædicatur ma-
Stupenda nempè JOVA fecit hîc
Bonus, lat ſonus.
Quorum per Orbem iugis ambu-
Hæc illa CHRISTI Civitas, hæc eſt
Sion,
Hæc Veritatis & Salutis Ilion.
Quis ergò fauſtos Vos negabit
millies, ctos, dies?
Tot inter, hîc qui ducitis, Do-
Videte tantùm, ne DEI ſeveritas
Exſuſcitetur, ſi ſubindè Veritas
Vel negligatur, vel negetur à
malis, dalis.
Vel præbeatur anſa craſſa ſcan-
Quod Tu, REDEMTOR, ut veteſ be-
nigniter ter! Amen.
Rogamus, atq; ſupplicamus iugi-

ODE

ODE XXIII. pro Eccleſiæ Chriſtianæ validâ protectione, & calidâ propagatione.

„ *Quamvis cuncta rotes quæ luſtrat puncta*
Bootes, *there dotes.*
„ *Vix reperire potes, quod non trahat AE-*

CREATOR Alme *Siderum,*
Quæ TE *ſuum nôrunt* Herum,
Iudicem Mundi ſeverum,

A*gnoſcimus (heû!) crimina,*
Ob quæ tot usq; tormina
Nos premunt ceû ſcabra ſpina.

S*umus quidem digni magis*
In tàm rigentibus ſagis
Vt prem amur ſæpè plagis.

P*recamur autem* TE Bonum,
Noſtris querelis conſonum
Ad ferenda dona pronum;

A*dſis ut hocce tempore,*
Quo TE *fatemur hîc fore*

E *Sub*

Sub Spei virente flore.
R*obur* Manûs Tuæ *feras*
In Nationes exteras
Quas vides ad Sacra ſeras.
U*t* Gloriæ Tuæ *ſeges*,
Vel inter infidos Greges
Excolatur antè Reges.
S*emen* Tibi *reſtet modò*,
Eccleſiæ *percommodo*
Inſitum ſub Axe nodo.
I*mmitte mitibus piam*
O Mitis Agne *Gratiam*
Conſcientiamquè diam.
L*ætabimur ſic indidem*,
Dum contuebimur Fidem
Excitam favore pridem.
L*atentur ô ſic & Scythæ*
Qui cuncta tentant perditè,
Nec queunt valere ritè!

Et

E*t quis negaret hoc* Eis,
Si cerneret tanti Gregis
Chriſtianæ *membra* Legis.
S*unt nempè Vitæ conditi,*
Sunt mente ſanâ præditi,
Palmites forentq́; Viti.
S*ed ſi* Salutem *ſpernerent*
CHRISTUMq́; *porrò temnerent,*
Nec patrata facta flerent:
H*oſtes manerent* Chriſtidis
Finemq́; mox Tyrannidis
Cernerent in hisce nidis.
A*h!* JOVA *vires exſere,*
Vt cuncta cedant proſperè
Omnibus ſub Axe verè!
Z*izaniorum ſemina*
Rutris Sacris extermina,
Ignibus crepante Spinâ.
I*n hisce Regnis* Veritas
Stet firma, nec ſeveritas

Armet ad Bellum Levitas.
U*biq; Martis impetus*
Ut & rigoris Mos vetus
Corruat, nocere ſuetus.
S*atis ſuperq́; luximus*
Dies malosq́; duximus,
Fauſtiores, quæſo, *ſimus!*
CHRISTI Cruore *percitos*
Nunquid velis nos perditos?
Quin JEHOVA *cerne tritos!*
O*ramus, ô* Sanctiſſime
PATERq́; Clementiſſime,
In Salutis Arce prime
M*undi ruentis Veſpera*
Ne ſit miſellis aſpera,
Sed benigna, blanda, ſera!
E*mancipentur Exules*
Quos inter Unus *ambules*
Vel per aſpra teſqua Thules.

Suc-

Succurre captis à Getâ
Et ne Fidem mutent veta,
Mente ſint ibi quietâ;
Donec reperto tramite
Fauſto recurrant alite,
Absq; læſione Vitæ.
Extende, CHRISTE, Dexteram
Gentemq; contine feram,
Ne gravē vibret macharam.
In Te Bono Spem ponimus,
Ah, da quod usq; poſcimus;
Gratiores indè ſimus!
Linguæ teporem dirigas
Pectusq; noſtrum diligas,
Quo ſub Alma Jura figas.
Lex pectori tùm ſit propè
Cùm nos Tuâ levas ope,
Ne reſultent indè ſcopæ.
Exaſciatum ſic Melos
Feremus inter Angelos

Sortiemur quando Cælos.

S*odalitatis tam Bonæ*
In parte nullâ diſſonæ
Servulos nos, CHRISTE, *pone.*

S*ed interim dum nos Solum*
Tenet, ruentes ad Polum,
TE *colamus,* quæſo, Solum!

H*onore ſummo* Te Ducem,
Per quem paramur ad crucem,
Efferamus antè Lucem.

A*d quod,* PATER, *nos ſedulos*
Fac ſemper ire ſervulos
Non malegratos cuculos.

Z*elus* Supremi Spiritûs
Amore Veri *percitus*
Fiat usquequaq; tritus! AM.

ODE XXIV. Hominis DEO confiſi, necdum confuſi.

Scripta A. 1631.

„*A*

„ *Anchora jacta juvat miſeros ut in æquore Nautas,*
„ *Sic Mentes recreant Cæleſtia gaudia cantus,*
„ *Et reddunt* CHRISTI *Candore Crucisq; lautas.*

H omo *diù nefandis*
Iactate fluctibus,
Quos fert JEHOVA *blandis*
Te crede fluctibus!
Nil prorsùs ambigas
Si protrahit moras;
In Hoc *ſed usq; figas*
Salutis *anchoras.*

E *s Dives hîc & Aptus?*
Superbiam cave:
Si pauper atq; captus,
Ad dura ne pave;
Nil prorsùs ambigas
Si protrahit moras;
In Hoc *ſed usq; figas*
Salutis *anchoras.*

N*atura ſi recedit,*
Si corpus interit,
Si Sors amara lædit
Et arma congerit;
Nil prorsùs ambigas
Si protrahit moras;
In Hoc *ſed uſq; figas*
Salutis *anchoras.*

R*elictus à Propinquis*
DEUM Patrem *ſcias,*
Cujus favore pinguis
Eris per has vias;
Nil prorsùs ambigas
Si protrahit moras, &c.

I*d noveris, quòd iſti*
Qui te premunt metus,
Benignitate CHRISTI
Ruent, & impetus;
Nil prorsùs ambigas
Si protrahit moras, &c.

C*eu flamma purgat Aurum,*
Sic te DEUS *lavat:*
Feras ut indè Laurum
Quæ neminem gravat.
Nil prorsùs ambigas, &c.

U*renda mentis ure,*
Forasq́; proiice,
Sit CHRISTUS Ipſe *cura*
Cûi *corda ſubiice:*
Nil prorsùs ambigas, &c.

S*is fortis ad duella*
Cum carne qua geris,
Nec te cruenta Bella
Gravent ab Inferis;
Nil prorsùs ambigas, &c.

M*ores malos, feroces,*
Vitamq́; corrige,
Ad Aſtra mitte voces
Et pectus arrige!
Nil prorsùs ambigas, &c.

A*ctus tuos* TONANTI
Viasq́ſubiice,
Necte Mari ſonanti
Incautus obiice:
Nil prorsùs ambigas, &c.
T*umultuoſus eſſe*
In mente deſinas;
Sed fac quod eſt neceſſe,
Quòd iure deſtinas:
Nil prorsùs ambigas, &c.
H*onore ne ſuperbi*
Famâq́ Nominis,
Cùm ſint brabéa Verbi
Sacriq́ NUMINIS
Nil prorsus ambigas, &c.
I*n te Crucem reductam*
Gratanter arripe,
Carnis gravemq́ luctam
Labore corripe:
Nil prorsùs ambigas, &c.

Agno-

Agnoſce tàm Paterni
Ductoris *hanc viam;*
Nec inſtar eſſe Verni
Teporis obviam:
Nil prorsùs ambigas, &c.
Securitatis auſum
Depone fortitèr,
Vt te JEHOVA *plauſum*
Det ferre ſuavitèr:
Nil prorsùs ambigas, &c.
Conſtantèr & decentèr
Vbiq; te geras,
Si vel malum recentèr
Accurrat, id feras:
Nil prorsùs ambigas, &c.
Ornare Veſte CHRISTI
Quam Morte contulit,
Et pelle corde triſti
Quod crimen intulit:
Nil prorsùs ambigas, &c.

M*alagma* Sanguis Ejus
Sit languidæ Spei,
Ne pergat eſſe peius
Omni tuæ rei:
Nil prorsùs ambigas, &c.

E*xpende quid ſequatur,*
Vel inſtes ampliùs,
Et quæ JEHOVA *fatur*
Audi fideliùs:
Nil prorsùs ambigas, &c.

S*i paululùm moretur*
Nec liberet Pios;
Scias quòd hora detur
Quâ turbet impios:
Nil prorsùs ambigas, &c.

T*empus ſcit* Ille *certum*
Quo vindicet ſuos,
Quod iam vides repertum
Caſus per arduos:
Nil prorsùs ambigas, &c.

Urge DEUM querelis
Manus ut exerat,
Remis ſimulq́; velis
Opem tibi ferat:
Nil prorſus ambigas, &c.

Ringatur ille Nequam,
Tamen nihil valet,
Pœnam REDEMTOR æquam
Huic quam dat, ut calet!
Nil prorsùs ambigas, &c.

Ruat Salum, Solumq́;
Cum Nationibus!
Habes DEUM Polumq́;
Pro rebus omnibus:
Nil prorsùs ambigas, &c.

Ejus Benignitate
Nitaris acriùs;
Furáq́; Veritate
Pugnes alacriùs:
Nil prorsùs ambigas, &c.

N*efarios tumultus*
In Orbe negligas,
Ut Pacis *indè vultus*
Opesq́ colligas:
Nil prorsùs ambigas, &c.

S*inceriùs deindè*
In Ætheris Domo
Sonabis Hunc; *& indè*
Fies recens Homo:
Nil prorsùs ambigas, &c.

I*d ut ſit, ô faveto*
JEHOVA *iam citò*,
Sic TE *canam quieto*
Non corde concito!
Nil prorsùs ambigo
Si protrahis moras,
In TE *ſed usq; figo*
SALUTIS anchoras.

S*uccurre fluctuanti*
Fiducia DEUS,

Ne

Ne ſim tumultuanti
Mundo velut reus:
Nil prorsùs ambigo
Si protrahis moras,
In TE *ſed usq; figo*
SALVTIS *anchoras!* AMEN.

ODE XXV. CHRISTIANORVM ad Solum CHRISTVM Confugientium.
Scripta Anno 1629.

„ *Fluctibus unda Maris quos tangit & angit amaris,*
„ *Ad portum tendant, grates* CHRISTOq; *rependant.*

V *eritatis* Alme Tutór,
AEquitatis Inſtitutor
CHRISTE JESV *Maxime,*
I *mperas* qui *parte quâvis,*
Vtq; pergat noſtra Navis
Scis adeſſe proximè.

Lar-

L*argus* Es *nobis miſellis*,
Terminos dum ſæpè Bellis
Deſtinas crudelibus:
H*oc fatentur facta per* TE,
Quæ notata ſunt apertè
In Libris fidelibus.
E*ripis Pios ab Igne*
Quem ſtruit nimis malignè
Impiorum fax levis.
L*iberas quin nos clientes*
Dira Mundi fata flentes,
*Das*q́; crux *ſit ut brevis*.
M*agna ſunt* Tui Favoris
Signa, ſingulis in Oris,
Queis beas nos plurimùm.
U*ndè laudum mille dotes*
Conferent Tibi *Nepotes*,
O Agens *liberrimum*!
S*iſte, quæſo*, PATRIS *iram*,
Vimquè Martis, atq; diram

Sor-

Sortis inclementiam.
C*onquieſcat iam Tyrannis*
Quæ cruentis cunctâ ſannis
Perdit; heu dementiam!
O*mnium claſſes Piorum*
Inter aſtus Impiorum
Id petunt abs TE PATER;
M*ulta pro* TE *ſufferentes*
Proximiſquè ſuggerentes
Fauſta quæ ſint ter quater.
E *protervos nempè, Mundo*
Criminumquè poſſe fundo
Egredi per aſpera:
S*equè Cœtibus Beatis*
Aggregare velle gratis,
Ob brabêa proſpera.
D*e Supernis intuere*
O PATER *Paſtorquè vere!*
Nosquè ſerva ſervulos.

Ele-

E *levamus corda ſursùm,*
Currimus lætiquè curſum
Ad Polos beatulos.
C *erne currentes, guberna,*
Arce de Tuâ Supernâ,
Conſequamur ut Scopum:
H *oſtium furere caſſi,*
A quibus tot antè paſſi
Ob leves culpas opum.
I *n* Tuo Favore *noſtra*
Mens quieſcit, atq; Soſtra
Pro Salute *porrigit:*
N *ec magis cupit placere*
Impiis, nec vult tacere
Si quid illam corrigit.
I *nterim ſed optat, orat,*
TEquè, SummaMens, *adorat*
Indigam ne deſeras;
C *ertiore quin* Amore
Pro Tuo, JEHOVA, *more*

Gra-

Gratiam *ſibi feras.*
E*cce Tempus eſt benignum,*
Sa videre poſſe ſignum
Liberabis quòd TVOS!
T*emnimur pro* TE *malignè,*
Et labores ſæpè dignè
Hîc ſubimus arduos.
T*urba nos premit profana,*
Quòd ſequamur pura, ſana,
Atq; vera Dogmata.
E*xulamus, devovemur,*
Sed malis nullis movemur,
Nec moramur ſcommata.
T*alium ſumus capaces,*
Et cavemus, ne rapaces
Nos Leones obruant.
T*u furentes contineto,*
Et Tuo Favore *ſueto*
Fac, ut ægrè corruant.

At

A*t Pii ſint liberati,*
Sint frequentes, ſintquè grati
Ob Tuam præſentiam.

U*niantur hic benignè,*
Vt Tuam *deindè dignè,*
Sentiant Clementiam! A.

ODE XXVI. de gratioſâ Gratæ DEO animæ vitâ.

„*Eſt Anima grata* IAH *ſpes,* & *vita beata;*
„*Hùc mentes igitur Vos Circula fida levate!*

I*mpotens valeto Munde*
Cum tuis fallaciis,
Spretus es nimis profundè
Sub Poli Palatiis:
Nec potes ſcopum videre
Terminumquè caſuum;
Me Sibi JEHOVA *verè*
Format, & facit Suum.

E*jus in* Paternitate
Mens quieſce ſuaviter;

Ut patens æternitate
Ingredi queas iter,
Quod REDEMTOR Ipſe *presſit*
Prævio veſtigio,
Donec ad PATREM *recesſit*
E Soli faſtigio.

Signifer Salutis ILLE
Noſter eſt & Arbiter,
Cujus *haud vires puſillæ*
Recreant nos gnavitèr,
Nec ſinunt hoſtes nocere
Hinc & hinc circumfluos,
Sed ſtatis cogunt docere
Proximos pænis ſuos.

U*tiles facit labores*
Omnium fidelium,
Vult ſuosquè noſſe mores
Cumquè Morte prælium,
Quod gerebat his in oris
Parte pro noſtrâ Bonus,

Quo

Quo ſui palàm laboris
Notus eſſet hic ſonus.
S *ubſequamur* Hunc *potentem*
Ac peroptimum Ducem,
A ſuis nihil petentem
Congruā præter Crucem:
Ferre quam vult absq; luctu
Hoc in Orbis atrio,
Non Suo *ſed absq; ductu*
Ac favore Patrio.
VI *cit* Is *Draconis iras*
Et furores arduos,
Laureas in Orbe miras
Erigens inter ſuos:
Sub quibus tuti manemus,
Nec timemus Tartarum;
Nec velut quondā madèmus
Sub dolore non parùm.
TA *rda ſit licèt piorum*
Hoc ſtatu correctio:

At

At DEI *ſpe præmiorum*
Non caret corruptio.
Eſt Paterna nempè totæ
Pellis expers horridæ,
Omnibus ſub Axe nota,
Impetranda ſed Fide.
A *bsq; tàm Bono* PATRONO
Si fuiſſet hactenus,
Nemo certè corde prono
Tenderet Cælo tenùs:
Nemo tutus his in oris
Eſſet à periculis,
Noxii plenus timoris
Criminumquè vinculis.
NI PATRONVS ILLE *claſſe*
Cælicâ nos cingeret,
Nonne noſtra cuncta caſſe
Inferâ Styx vinceret?
Nec futurus eſſet ullus
Qui Salutem *quæreret*

In

In plagis iſtis homullus
Ad Poloſq; pergeret.

MÆ*ror ergô cedat ater,*
Cura cedat inſolens,
Namq; CHRISTVS Ipſe
Frater *lens:*
Noſter eſt Benumvo-
Hoc *iuvante cuncta*
tuta *ùs,*
Sunt futura, ceû pri-
Pax & ipſa reſtituta
Nos beabit crebriùs.

GRA*tiarum ſic tributum*
Offeremus Huic *fre-*
quens,
Dũ cor Aris advolutum
Tempus impendet ſe-
quens, *nendum*
Ad JEHOVAM *conci-*
Singulari carmine,
Os-

Osq́ nunquā continendū
Fertili conamine.

TÆdium *Vitæ moderna*
Hoc modo levabitur,
Donec ad ius Sempiterna
Noſtra Mens vocabitur,
Juncta Cœtibus Beatis
Et REDEMTORI DEO,
Quem fibris in Axe gratis
Conſonabit Entheo! A.

ODE XXVII. EUCHARISTICA, pro innumeris bonis ac donis divinitùs acceptis porroq́ accipiendis.

Quē DEUS *eVexit, quē* DIO FLAMINE *texit,*
Is colat HUNC SOLŪ, *quærat & usq́; Polū,*
Deſerat immundi pereuntia gaudia Mundi,
Pergat amare Bonos; ſic ſibi creſcet honos!

F JO-

JOVA CREATOR *Sempiterne rerũ*,
Quẽ *tremiſcunt* Judicẽ *ſeverũ*
Cuncta
Hoc in Orbe puncta;
ANnue, *quaſo, triſtibus querelis*,
Meq́ duris intuere prelis
Cinctum,
Et malis revinctum.
NEScio *prorſus quẽ magis* Patronũ,
Prater Unũ TE, *iuvare pronum*,
Poſcam,
Obviumq́ noſcam.
GEſtio *totus, cùm recordor usq́*
A quibus Tu *me Pius Bonusq́*
Fatis
Liberas citatis.
ORdine *poſſem ſi referre quavis*,
Et remotis TE *ſonare navis*,
Nollem
Hunc pavere collem.

GI-

GIgnitur iſthæc nempè mens & illis
Qui Gehennæ territi favillis
Mentem
Dant Tibi *gementem.*

USq; *rogantes, ut* Tuum Favorem
Ceu recentē, JOVA Summe, *rorē*
Spargas,
Cernuisq; parcas.

ABsq; Tuâ *quis poſſet ire* Dextrâ
Hûc & illûc, vel domi vel extrà?
Nemo
Sub Polo Supremo.

ARbiter *æquus,* Fautor *& tuorum*
Semper eſſe perge Servulorum,
Qui TE
Concinunt peritè.

Nutibus *almis cuncta* Tu *gubernas,*
Tu *malorum prævalere Lernas*
Gnatis
Non ſinis renatis.

I*niice Bello iam* Manum *furenti*,
Chriſtidiq; *damna tot ferenti*
PACEM
Da, PATER, *feracem!*
Munus id á TE *ſcimus eſſe tantum*,
Ergò fuſas audias precantûm
Voces,
Spes premens feroces.
B*landa canemus ſic Trophæa læti*
Gratioſo TE PARENTE *freti*,
Surſùm
Promovendo curſum! Amen.

ODE XXVIII. Συμβολική, de igneâ IngenI Chriſtianorum ingenuitate.

„Ingenuis Animis *ut* Agamus Honeſta, *jubemur* (*Gemur.*
„*Legibus; at nil fit niſi* CAELITE LUCE *ju-*

IN-

INtuere quisq; Mundi
Huius orbitam profundi
Ac Superna Sidera
Conſidera.

GEntium quid iſte motus
Inferat, revolve totus,
Nec magis Spe, ceû priùs
Sis ebrius.

NUlla namq; Spes probatur,
Corde quæ tumente flatur,
Nec Fidem ſufflaminat,
Sed terminat.

ISraëlis hoc Nepotes
Impias ſequendo dotes,
Sat docent: nã ſpreverant
Quo creverant.

Ad Scopum feramur ergò
Abſq; devio parergo,
Nec moremur hîc truces
Vitæ cruces.

NI*l enim quibit nocere,*
Patriæ *quum tecta* veræ
Appetemus, mentibus
Præſentibus.
MIS*ceantur ſi Superna*
His profundis, ſiq; Lerna
Nos mali premat, ſecet,
Vel mox necet:
An putamus obfuturum
Id Piis, onusq; durum
Perditurum munia
Communia?
GA*udium quin immò gratum*
Eſt in Axe conſecratum
Chriſtianis cordibus
Concordibus.
MUS*ſitare pergat Anguis,*
Angit hunc ſed usq; SANGUIS
Entheus Gnati DEI
Bono Spei;

HO-

HOſtiumq́ frangit arma
Providetquè, ne catharma
Inferat nobis malum
Per hoc Salum.

NE*mo ſit proindè triſtis,*
Præbeat nec corda criſtis;
Sed gerat quod eſt bonum
Nec diſſonum.

ST*A*bimus ſic ſtante CHRISTO
Sub ſtatu dolore miſto,
Donec exemtos Solo
Siſtat Polo! Amen.

ODE XXIX. ob hoſtium ſeveritatem mœrentium, & levamen quærentium.

„ *Ferre moras moresq́;* DEI *cur usq; moraris?*
„ *Nempè tuos mores corrigit hisce moris.*

MEntium LUMEN DEUS
TE *ferit clamor meus,*
TE Patrem *quærit* Bonum,
Et Tuum Sacrum Thronum.

Ah, *quot ingruunt truces*
Chriſtianis *hîc Cruces!*
Quot doli molimina,
Cladiumq; ſemina;

T*urba* Legibus Tuis
Optimis & arduis
Sueta contradicere,
Nos *cupit ſubvertere.*

T*erritos priùs malis,*
Plurimisq; ſcandalis
Marte territat magis
In miſellis his plagis.

H*oſtibus peius feris,*
Immò peius inferis,
Nos capit, rapit, premit,
Quodq; vivamus gemit.

Iſta

Iſta mens Eis frequens,
Vt Nepotum Gens ſequens
Falſa tractet dogmata
Vrbium per domata.
Arguunt Nos *commatis*
Devii, proin ſcommatis
Impetunt, vexant, gravant,
Et ſcrobem necis cavant.
Scrobs ô iſta congruat
His, Eosq; ſubruat!
Vt ſciant Nos TE *ſequi,*
Laudibusq; proſequi.
Hoc Fidelium *Decus*
Nempè ſcimus; haud ſecùs
Vt colaris hic PATER
Quàm coli vis, ter quater.
Ora Cordi conſonent,
Nec ſiniſtri quid tonent;
Non in Orbis gratiam
Conſtruant Sententiam.

E *Throno* CHRISTUM DEI
Non trahant, ut athei;
Gloriam *nec denegent,*
E Sacris ſed congregent.
A*ntè ſæcla temporum*
Ad Salutis *Nos Chorum*
Eſſe conditos ſciant
Hos ſimul qui deviant:
B*landa ſi velint modò*
Veritatis *commodo*
Lytra CHRISTI *prêndere,*
Vatibusq; credere.
H*oc iter Polos ſecat;*
Væ! Volens qui pernegat,
Exuens Baptiſmatis
Pignus *& Chariſmatis!*
O*bruetur æquiter*
Qui Synaxin *nequiter*
Torquet ad Tropos meros,
Vel cothurnos querqueros,

Eſt

Eſt magis laudabile,
Et Piis amabile,
Si quis ad Verbum DEI
Fert fidelem rem Spei.
Non erit Falſi reus
Quin Supremus hunc DEUS
Ob Fidem Cæleſtibus
Addet olim Cœtibus.
Ergò SALVATOR Pie,
TE rogamus hâc die,
Noſter eſto, Nos Tui
Fœderis Spe mutui.
Gratiam Tuam Tuis
Offeras in arduis,
Deſeras nec tum Pios
Cùm flagellas impios.
Gloriæ fons Es merus,
Ergò fac, ut Heſperus
Veritatis hîc micet,
Vim Salutis indicet.

D*iligamus mutuò*
Spiritu *foti* Tuo;
Simus Unum *motibus*
Et Sacratis moribus,
C*onſcientiam* Fides
(Quâ rigere Nos *vides)*
Vsquequaq; muniat,
Non repentè puniat.
P*oſcimus fideliter,*
Vt feras benigniter
Indigemus hîc quibus
Cum Tuis fidelibus! Amen.

ODE XXX. Chriſtiani veri ac ſinceri, inter brachia CHRISTI per Fidem repoſiti.

„*In Manibus* CHRISTI { *vivam* / *moriar* } *benè tempore triſti!*
„*Brachiolum* IESU *quovis eſt ſuavius eſu.*

IN-

INter *Orbis orbitas*
Cur volens exorbitas?
Nec bonum requiris,
Nec, miſelle, miris
Brachiis *fidis* DEI?
TER*reat licèt malum*
Per Solum vel per Salum:
Tu nihil paveſce,
Sed ſubindè ſueſce.
Brachiis *niti* DEI.
BRAchiis *iſtis Pii*
Sunt frequenter obvii;
Tuq; nixus hisce
Subiacere diſce
Brachiis firmæ Spei.
CHI*lias nocentium*
Si petat te dentium,
Tu nihil morare:
Nam Salutis Aræ
Brachiis *ſubſunt* DEI.

Annuet preci tuæ
PACIS AUTOR *arduæ,*
Conferens vigorem
Ac novum virorem,
Brachiis *fixum* Suis.
SAL*veat* PAX *hæc* DEI
Atq; det fructum Spei!
Recreentur icti
Entheis relicti
Brachiis Summi DEI.
VA*nus eſt Mundi favor,*
Quem levis perdit pavor:
Hunc proin' caveto,
Atq; corde læto
Brachiis *fidas* DEI.
TO*rquearis ne magis*
Subtrahas mentem vagis
Senſibus, nec aude
Si quid absq; laude
Brachiis *obſtat* DEI.

RI-

RISui nulli locum
Præbeas, nec ad iocum
Pronus eſto vanum;
Nam ſcelus profanum
Brachiis *exeſt* DEI.

MEntientes *arguas,*
Nec niſi res arduas
Comprobes & almas,
Vt ſubeſſe palmas
Brachiis *cernas* DEI.

I*ngemiſce ſæpiùs*
Si premaris ſæviùs;
Nec tamen labaſce,
Sed ſubindè paſce
Brachiis *mentem* DEI.

ET *quod* ILLE *vult* PATER
Exſequaris ter quater
Ac roges decenter
Vt tegat recenter
Brachiis *temet Suis.*

VIx

VIx *repulſam ſenties,*
Immò fultus centies
Ejus Æquitate
Iſta metra gratè
Brachiis *canes* DEI:
VE*re* PACIS ARBITER,
Qui *fideles ſuaviter*
Sublevas, adeſto,
Sis Piisquè præſtò
Brachiis *ſemper* Tuis.
RE*primas Martem ferum,*
Des iterq; proſperum
Veritatis *auſis,*
Artiumq; cauſis
Brachiis *ades* Tuis.
VO*ta fundimus* Tibi
Deſeras nos nullibi,
Nec ſinas perire,
Sed fac introire
Brachiis *Polum* Tuis.

LON-

LOngiùs ne differas,
Namq; fabulas meras
Mundus iſte tractat,
Ac ubiq; lactat
Branchiis omnes ſuis:
ET *quod improbus facit,*
Nos per hoc ad ſe lacit,
Perditurus usque
Ni BONUS PIUSq;
Brachiis *ſerves* Tuis.
MOre *nos tractes* Tuo
Charitati *congruo,*
Ac medere feſſis
Afferasq; preſſis
Brachiis *opem* Tuis.
RI*tè ſic cantabimus*
Et piè tractabimus
Quæ iubes Paternè
AUTOR æviterne,
Brachiis *freti* Tuis.

CVm

CUm *beatis Angelis*
Collocare nos velis
Tu *modò* PATRONE,
Sublevare prone
Brachiis *omnes* Tuis!

PIgnus *iſtud Cælicum*
Pondus arcet bellicum,
Et ſcelus retundit,
Gratiamq́; fundit
Brachiis *fultam* DEI.

O *ſit æternùm bene*
Juniori cum Sene,
Qui Fide vireſcit
Nec malum paveſcit
Brachiis *tectus* DEI. AMEN!

ODE XXXI Γενεθλιακή,

Onomaſteriis cujusvis veri ac ſinceri Chriſtiani congruens.

Natales, *ne ſint fatales fortè*; Calendæ;
Carmina fer TRIADI, *contrito corde*, CO-
LENDAE.

ÆTheris CREATOR
Orbis Imperator,
Qui *pias in hoc Solo Catervas*
Vndiq; ſervas.

G*loriosa facta*
Et ſtupenda pacta
Quis Tuæ *poteſt* Manq; *referre*
Præſtita Terræ?

I*ngemiſco triſtis,*
Quòd malis ſub iſtis
Non ſatis tuas revolvo laudes,
Queis Bone *gaudes!*

D*iligenter ergò*
Deme vincla tergo,
Quæ meam gravant ſubindè mentem
Damna timentem;

In-

I*ngeraſq́; morem,*
Vt Tuum Favorem,
Concinam Natalibus *ſub* horis
Plenus honoris.

U*tq́; me creatum,*
Ac Lytro *beatum*
FILII Tui, *recorder alme*
Hac vice Pſalmo.

S*urge Mens renata,*
Intuere fata
E quibus retracta iam niteſcis,
Et mala neſcis.

S*olve plectra cordis*
Perſonando chordis
Omniũ PATREM, *Boni Satorẽ*
Atq́; Datorem.

T*e* PATRONUS ILLE
Inter aſpras mille
Gratiæ ſuæ *favore firmat,*
Ad Sacra format.

Red-

R*edde tam* Benigno
Vota more digno
Ejus *&* Paternitate *freta*
Dicita læta:

A*lme* Soſpitator
Labis Expiator,
Iſta, quæſo, thura Gratiarum
Sume piarum!

U*niverſa, vitam*
Queis beas avitam,
Dona ſunt Manûs Tuæ *faventis*
Meq; foventis.

C*enties in horâ*
Voce TE *canorâ*
Lingua debuit ſonare noſtra
Ferreq; ſoſtra:

H*oc tamen frequenter*
Negligit! potenter

Hanc

Hanc proindè, CHRISTE, *fle-*
cte, forma,
Perpete Normâ;
I*n meoq́ corde*
Semper abſque ſorde
Fac vigere cuncta Regularũ
Puncta Tuarum!
U*tiles fac, oro,*
In quibus laboro
Terminos meæ Vocationis
Et Stationis!
S*im Tuus Miniſter*
Cæles ô MAGISTER!
Sentiamq́ vim Sacri Favoris
Omnibus horis;
D*irigas ab Aſtris*
Me ſub hisce caſtris
Cum Stygis Dracone prælian-
tem,
Nec variantem.
Omni-

Omnibusquè functum
Redde, quæſo; *iunctum*
Cœtibus fidelium Tuorum
Perpetuorum!

CONDITOR Beate,
Omne robur à TE,
Tu *meas in imminente fibras*
Turbine libras.

Tu *luto creatum*
Efficis beatum
Afficisq́; dotibus bonorum
Innumerorum.

O*ro porrò*, CHRISTE,
Tela cuncta ſiſte,
Quæ mihi Tuo *nocent* clienti
Crimina flenti.

R*eſtat & quod Artis*
Entheaq́; partis
Da videre poſſe grata vitæ,
Limina ritè;

Ter-

T*erreumq́ munus*
Poſt fidele funus
Paululū quieſcat in ſepulchro
Tegmine pulchro!
H*oc ratum fac eſſe,*
Nec velis deeſſe
O Poli, Soli, Saliq́ Factor
Mortis Abactor!

ODE XXXII. ad imitationem Pſalmi 34.

„ *Simplicibus* DEUS *eſt præſens, offenditur aſtu,*
„ *Subdola confringens & corda tumentia* (*faſtu.*

I*N laudibus* TONANTIS
Non eſſe deſinam;
Sed gratias ovantis
Huîc *mentis occinam:*
Vt audiant Boni,
Id audeantq́ mecum
Suadent quod acta Legum,
Tractu pii toni, *Ad-*

ADeſte Chriſtiani
Preſſi gravi malo,
Videte quàmq́ vani
Sint in Solo-Salo
Qui nos gravant metus!
In me probabo clarè
Quàm poſſit adiuvare
JEHOVA *Dux vetus.*

C*uſtodiâ potenti*
Cingit latus meum:
Onus facitq́ menti
Abeſſe plumbeum;
Nec parcit hoſtibus
Si qui velint nocere,
Pergitq́ me docere
Modis felicibus.

O *centies beatum*
Qui fidit Huic HERO,
Hunc Is *malis levatum*
Amore fert mero:

G *Nec*

Nec pauperem gravat
Opem ſuam rogantem,
Sed ducit invocantem,
Et ſqualidum lavat.
B*eatitatis huius*
Sunt compotes Pii,
De ſuavitate cuius
Monentur obvii
Ab Angelis DEI,
Foventur & decenter,
Vt offerant recenter
Caſtas preces EI.
U*ſu probetis, oro,*
Hanc Gratiam Poli,
Vt gaudio decoro
Nec conſcio doli
Teſtemini palàm,
Nil eſſe par PARENTI
Ferociâ carenti
Quæ creat ſpem malam.

Ser-

S*ervite tam* Benigno
Omnes Pii DEO
Celebritate digno
Cantuq́ melleo,
Et ſtate per vias
Veſtræ Vocationis:
Vt expiationis
Huîc *detis hoſtias.*

V*enite quotquot eſtis*
Hùc ô Greges DEI,
Audite dum poteſtis
Vim conſili mei:
Qui vult bonos dies
Vitæ videre lætæ,
Semperq́ ſub quiete
Gaudere millies.

E*normis eſſe verbis*
Quantùm potes, cave,
Nec fraudibus ſuperbis
Aut noxiis fave:

Sed quicquid eſt bonum
Sectare, Pace fultum,
Ac Veritate cultum,
DEOq́; *conſonum.*

L*ætatur omne* Cælum
Conatibus piis,
At undiquaq; Zelum
Minatur impiis:
Nec connivet malis,
Pœnas ſed auget horum
Iuſſu DEI *Deorum*
Pro mille ſcandalis.

LE*vat* JEHOVA *mentes,*
Ceu providus PARENS,
Exaudit & gementes,
Nec vult quis ut carens
Sit Ejus *hic ope,*
Licèt fatiſcat Orbis
Deturq́; porta morbis,
Fit Is *tamen propè.*

RUS ceû Colonus urget
Crebris laboribus:
Sic Chriſtiana turget
Hîc ſors rigoribus;
Fructus tamẽ capit,
Et plurimùm niteſcit
Identidemq́; creſcit,
Ac dulciùs ſapit.

DEUS Crucis levator
Fit ſervulis ſuis,
Quin imò recreator
Rebus ſub arduis:
Nec oſſa deſerit,
Sed ſervat illa Clemẽs,
Dũ ſæpè turbo demens
Hæc impiè ferit.

Triſtis ruina pravis
Ut creſcit indies:
Sic grandis atq; ſuavis
Inſtat Piis quies.

Pro quâ DEO *melos*
Canatur abſq; luctu,
Nunc evidente ductu,
Poſt inter Angelos. Amen!

ODE XXXIII. ob diuturnitatem Belli gementium, Gratiamquè DEI petentium.

„ *Quæ mala ſint Belli, demonſtrant damna popelli,*
„ *Caſſa docet Regio, quaſſaq; Relligio.*
„ *AEs perdunt Reges, & ceſſant undiq; Leges,*
„ *Caduntur q; Greges, conterituŕq; Seges.*

JOVA *Terrarum* Reparator Alme,
Quem *decent laudum ſine fine palmæ,*
Te Tui *ſpectant avidè* Clientes
Triſte gementes.

An.

Anxii multū Tibi *vota ſolvunt,*
Ad Tuas Aras *vituloſq́ volvunt:*
Audias tandem, PATER, *exuentes*
Crimina mentes!

Cerne *crudeles quid agant furores*
Hoſtium, pleni vitiiſq́ mores;
Cerne iuratas Acies & Vrbes,
Quas citò turbes!

O *quid exſpectas? quid opem moraris,*
Ferre Sacratis Adytis & Aris,
Dira quas fœdè violat Tyrannis, Hiſce ſub annis.

Beſtiis *Terræ lanianda pandit*
Corda cæſorum, propiùſq́ ſcandit
Ad Tuos Cœtus *penitùs necandos*
Diſq́-ſipandos.

Una vox illis: Spoliemus Aras
Cultibus Sacris *Studiisq́; claras;*
Concidant noſtris gladiis Magiſtri
Igne Miniſtri!

Spernis id JESU Soboles TONANTIS?
Nec mali ſiſtis rabiem boantis?
Siſte ſed tandem PATER, *ac furentem*
Comprime Gentem.

More conſueto fer opem miſellis,
Deq́; præcelſis removeto Sellis
Arrogantes, ac proprio tumētes
Robore mentes.

Ah! DEUS *clemens*, DEUS *(ah) Deorum,*
Sis Tuorum LUX, PATER *&* *reorum!*
Nos Tibi ſoli *ſumus obligati*
Ordine fati.

Rum-

R*umpe tam longas remoras pre-*
camur, *camur;*
Nam nimis pro TE, *nimis ene-*
Terminus Bello ſit, & inquieto
Vndique letho!

T*rade nos rursùs* Patriæ *Vagan-*
tes; *tes:*
Et Manu ducas miſerè laban-
Vt tuas laudes *ibi perſonemus,*
Ac renovemus.

I ura *floreſcant iterum* Sacrata;
Sintquè converſis veneranda,
grata; ſus,
Luceant Artes, *renoventur* U-
Ceſſet abuſus.

N*equiter quicquid fuit excita-*
tum,
Denuò purũ ſit, & expiatum!
Annuas noſtris precibus voca-
tus *Atq; rogatus.*

I*ntret ad Cælos gemitus* Piorũ,
Quos premit ſævum genus Impiorum,
Eiicit, turbat, perimit ſuperbè,
Vexat acerbè!

D*eme captivis rigidas catenas,*
Carcerem vinctis, variasquè pœnas, me, *necte,*
Pauperum curam, Pater Al-
Ad bona flecte.

O*mniũ ſpectant oculi* Tuorum
Munerũ *dotes nimis arduorũ;*
Tu *cibas omnes, reficisq́* gratà
Pace *creata.*

C*orrigas Mundum vitiis ſcatentem:*
Vt Tui Verbi *faciem latentem*
Diſcat optatè reparare, nervis
Abſq́ protervis!

Tem-

Templa *per quasvis reſerentur*
oras, *horas*
Ac Tuas laudes *reſonent per*
Perpetes, paſſim pateantquè
cunctis
Dogmate iunctis!

O *piâ* JESU *Bonitate lenis*
Promptus his eſto faciliſquè
threnis, *mæſtus*
Et Tuus *quos* Grex *ſcit obire*
Percipe queſtus.

REx Es *æternus*, Tibi *ſuppli-*
camus,
Et Tuum *nobis* Lytron *ap-*
plicamus, *levamen*
Da PATER *tandem patrium*
Quæſumus, Amen!

ODE XXXIV. ſtudio εὐθα-
νασίας flagrantium.

„ *Hæc eſt Votorum*, IESU *bone*, *ſumma meorum*;

„ *Sit mihi ſumma dies grata, ſit apta quies!*

PRopago *Maximi* DEI
Et Luminis Lux *Enthei*,
Qui Morte *Mortem conficis*
Viamq́; Vitæ *perficis.*

Ad TE *preces pias fero*,
Tibiq́; Soli *ſuggero*
Neceſsitatis orbitam,
In termino gravi ſitam.

Ut *hora ſi mei ruat*
Agonis, *haud adobruat*
Impænitentem, *ſed pium*,
Redemtioni *pervium.*

Loquela *gutturis mei*
Lumenq́; visûs flammei
Quũ non favebunt, *Tu fave!*
Præſtare quod non eſt grave.

Vſu-

U *ſura cordis quum tremet,*
Quũ crimẽ & Mors me premet,
Quum totus Orbis deſeret,
Opem nec ullus deferet:
S *uccurre tunc mihi* DEUS
Sis Liberator Tu *meus;*
Vita ſub arcto termino
Da poſſe quod determino!
R *epelle Dæmonas feros*
Metusq́ Mortis aſperos;
Me Spiritus Tuus *regat,*
A mole torminum tegat.
Ö *Expiator Criminis*
Tui favore Numinis
Mentem meam complectere,
Quò neſcientem flectere.
B *eata regnet in Polo*
Carnem relinquens in Solo,
Quam grata ſopiat quies
Poſtrema dum ruat dies.

E*am deindè ſuſcita*
Ad Gaudii Domum *cita,*
Ceû polliceris his Tuis
Verbis piis *& arduis:*
R*es certa,* (dicis) *eſt nimis*
Qui cordis ex tis intimis
Fidit Mihi, *non interit,*
Sed perpes in Cælis erit;
U*biq; liberabitur*
Tutusq; præſervabitur
Ab omnibus periculis,
His, & futuris ſæculis.
S*is ergò, ſis memor* Tuæ
Promiſſionis *arduæ!*
Fac compotem me muneris
Poſt dura fata funeris,
D*ele reatus impios,*
Ne per dolores invios
Abducar à TE *tam* Bono,
Tuoq; Patrio Throno.

THe

THeſaurus Almi Dogmatis,
Roburq́; Sacri PNEVMATIS
Me recreet, me muniat,
Et cum beatis uniat! Am.

ODE XXXV. Soli CHRISTO deditorum.

„ *Reprobat, haud reprobat* CHRISTUS *ſua Verba ſequentes,*
„ *Ferventesq́; facit Fidei Sibi lucra ferentes.*

VItis ô *Vita, ſimul* ipſa Vita,
Vitare qui iubes malum,
In *viâ,* JESU, *ſtatuas cupitâ,*
Nantes per horridum Salũ.
L*anguidos cura, timidis adeſto,*
Preſſis opem fer obviam:
H*ic probos forma, validoq́; ceſto*
Firma Tuã Sponſam *piã.*

Exca-

Exeamus, vis, Babylone ſævâ
Ex Antichriſti ſentibus,
Liberemur quò ſtatione lævâ
Et à cruentis Gentibus.
Mente conſtanti faciamus iſta,
Da, quæſo, CHRISTE, nam potes,
Ut cadat Marti Vitiisq; criſta:
Voti fac ô nos compotes!
Sic Tibi laudum cumuli reſurgent
A Cœtibus Fidelium,
Læta qui Sanctæ iuga Legis urgent,
Malisq; conſtant prælium.
In Tuo Verbo pia Mens quieſcit
Promiſſa compleri videns,
Seq; cum Mundo recreare neſcit,
Vita ſua ſic providens.

E Tuo

E Tuo Cælò *releva iacentem*
In vinculis mortalibus,
R*eprobos inter ſolidans tacen-*
tem
Multisq́ turbis talibus.
U*na ſit Spes, hîc fore* TE Pa-
tronum
Tibi DEO *fidentibus,*
S*ingulis promptum, precibusq́*
pronum
Fuſis probis de cordibus.
D*iligentes* TE *redamare perge*
Dilecte *Servulis Tuis;*
O*bruas culpas maculasquè terge*
Qui TE *colunt fibris ſuis.*
C*ũcta* tu ſolus *regis & gubernas*
Tuâ potente Dexterâ,
T*u crucem noſtram relevando*
cernas
Dum Sors recurrit aſpera;
Or-

ORdini *tandem* Supero *Tuorum*
Coniunge, non magis reos,
REctor *Orborum,* PATER *orpha-*
norum,
Qui *Gentium deles Deos!*

ODE XXXVI. Auxilium
CHRISTI expectantium, il-
ludq́ expetentium.

„*Ob* CHRISTI *cultus creſcunt tot in Orbe*
tumultus;
„*Quos* Idē *tollet, quia viribus undiq; pollet.*

IAm Cordis *artus elevemus ad*
DEUM,
Vt det Iuvamen Entheum!
O*ratione nunc opus, nunc queſtibus*
Nunc Chriſtianis geſtibus.
H*oc urget ingens temporis neceſ-*
ſitas,
Hoc ipſa CHRISTI veritas.

Ad-

A *deſto nobis ergò* Fons Clementiæ
Fautor*què Pœnitentiæ:*
N *on cernis Hoſtes noxios, feros, truces,*
Nobis parantes tot cruces?
N *on mille fraudes, queis Tuum Cultum petunt,*
Fœdusq́; Pacis *impetunt?*
E *dicta vulgant, Bella concitant palàm*
Patrare prompti rem malam:
S *e profitentes in triumphis proſperos,*
Nos eſſe mendicos meros;
H *abere nec nos hîc vagos* Eccleſiam,
*Nec,*Sponſe Te,Sponſam *piam.*

Vbi-

U*biq; ſed* Tu *noſter* Es Dux *&*
Pater
Hinc nos beati ter-quater!
L egem Tuam *das, hic* Tibi *nos*
congregas,
Vt ceû gregẽ Paſtor *regas.*
S *incera per* TE Veritas *nobis*
micat,
Viasquè Lucis *indicat.*
E *victe noſtris ergò maſtis flè-*
tibus
Tuis *adeſto* Cœtibus!
M *anu prehende ceſpitantes ſub*
Cruce,
Ab Hoſte fac tutos truce.
A *bominanda quæq; deſolatio*
Cedat pio Solatio,
N *on una* Verbi *quod relaxat* pà-
gina,
Ob triſtium levamina.

Vm-

Umbone Sacro vim retundas ho-
ſticam
Feramquè ſpem Phantaſti-
cam.
Secura nobis largiens hîc do-
mata
Ob pura Verbi Dogmata:
Donec ſubactis Carne, Mundo,
Dæmone,
Tuo Favore, DUX BONE,
Oblivioni fata demus fellea
Et conſequamur mellea,
Cæli brabêa *ſunt ubi perennia*
Nec non amæna mænia.
Tum TE *perenni confitebimur*
Chely
Quâ perſonant nunc An-
geli.
O *fiat illud, ô* PATER, *velociùs,*
Ut TE *fruamur ocyùs!*

Re,

Re, non magis ſpe, poſſidentes Sidera
Beata, tuta, proſpera! Am.

ODE XXXVII. Gratias DEO agentium, Gratiâq; Ejus porrò egentium.

„CHRISTE *Sator rerum, Cælo tua mira ca-*
nuntur, *quuntur.*
„ TE *facilem, Verum, Sanctorum caſtra lo-*

AFferte laudum Victimas cum gaudiis,
Metu levati, ſemitisq́; deviis!
Benignus Ille *Luminũ* Pater DEUS
Rector *Polorũ, Cælitũ* Dux *Entheus,*
O*pẽ Paternam contulit petentibus,*
Suisq́; *porrò vult adeſſe* Cœtibus.
I*d pollicetur in Sacro Volumine*
U*biq; fermè ſingulari* Numine.
S*ic Abrahamum duxit è periculis,*
R*etraxit & Lothum cruentis vin-*
culis. *Hu-*

Huius favorem ſenſerat Ioſeph pius
Offenſionum mole percitus priùs.
Davidis arcta quem fugit ſors vel
fuga; *ſuga?*
Inter latebat qui malos ceu tran-
Utcunq; viſus eſt relictus à DEO
Suos & inter computatus pro reo:
Poſt tanta tandē ſed tamē pericula
Hoſtis ſceleſti, poſtquè mille ſpicula,
IEHOVA *rurſus hunc ſuâ* Potentiâ
Levavit, ungens ad Throni pala-
tia; *dem*
Omnem repreſſit caſuum tyranni-
Solatii dans optimam coronidem.
O ter beatos, JOVA *quos ſic diligit,*
Probèquè ſervat, paſcit, armat, di-
rigit!
Hoc nos vel ipſi confitebimur palàm
In corde quippè ſpem foventes
haud malam:

Æter-

Æterne *quòd* Tu *nos*, Pater Clementiæ,
T *eſtus furentis Hoſtium dementia*,
U*t* T E *ſonemus*, *proteges beni-*
gniter *ter.*
M*inasquè franges cogitatas nequi-*
M*inantur (ecce!) machinantur ac*
truces *thum*, *cruces!*
E*xtrema quæque*, *carceres*, *le-*
D icunt: *Eamus*, *concitemus quæ*
nocent
I*n hos & illos; iura nec nos avocent!*
C*adant ſubacti ſub pedes Cohortiū*,
I*ntelligantq́ dextra quanta for-*
tium! *vides*
N*on pendis iſta* JOVA Summe? *non*
Æſtū Malorū? Sed vides, & aſpides
D*olis tumentes toxicisquè; corripis;*
O*menquè fœdum fœtidumquè cor-*
rigis.

Cu-

Cuſtodiente Nos Tuâ Clementiâ
Timere tela nolumus frementia,
Oramus autẽ, Noſter *eſto, nos* Tui,
Renunciando criminum conſpectui.
Poſt fata tandẽ corporũ mortalia,
Perduc beatos ad Poli Regalia! A.

ODE XXXVIII. DEO confidentium, Eundemquè confitentium.

„ *In Cælo ſcenas Cœnasq; requiris amænas?*
„ *In Cœno Mundi priùs experiaris arenas.*

A *Vribus preces* DEUS
Haurit æquis flammeus
Pænitens quas fert reus.

Unus *eſt concordibus*
Ille Fautor *cordibus;*
Non Viris ſocordibus.

Gratiâ Suâ *beat,*
Inquè pectus immeat,
Dum novas vires creat.

U*ltor eſt ſuperbiæ*
Et cohortis impiæ,
Vltor improba viæ.
S*i quis indiget quibus,*
Huic JEHOVA *fit cibus*
In Choris fidelibus.
T*riſte ſi quid ingruit,*
Si Satan dolos ſtruit,
Haud Pios adobruit.
U*niuntur hi* DEO,
Qui *velut Sacer Leo*
Enſe fulget aureo:
S*iſtit hoc frementium*
Arma mille gentium,
Nos nimis lædentium.
B*elluas fugat, ſecat*
Bella diſſipat, negat,
Hæc moventes enecat:
U*t quietem flentibus*
Sic reducat mentibus
Ob nefas gementibus,

CHriſtiani diſcite,
Hunc HERUM *cognoſcite*
Dona Vobis poſcite!

Non repellet, ut priùs,
Si rogemus acriùs,
In dies alacriùs:

Eſt enim præſtò ſuis
In periclis arduis,
Væ, retrò ſi quis ruis!

Rex *Benigne*, Rex *Pie*,
Da Tuæ nobis viæ
Semper exſtent perviæ.

Unge nos Chariſmate,
Iunge Sacro Pnevmate,
Hoc ſub Orbis Schemate.

Solve vincla pectoris
Quæ nocent hìc & foris,
Singulis ferè moris.

Parce noſtro crimini,
Ut locus ſit Carmini,

Et Sacro Solamini:
P*oſtq; tot Cruces Soli*
Da novas Luces Poli,
Nullius reas doli! Amen.

ODE XXXIX. Pro Bonis ac Donis Eccleſiæ à DEO datis, & porrò dandis.

„ *Abſumus à* TE, *Vivimus ex* TE, *fidimus in* TE, CHRISTE!
„ *Tendimus ad* TE, *nonniſi per* TE, Maxime

S*Ana Mens canas* PARENTEM
Fauſta ſingulis parantem,
Teq; ſic devincientem
Vt ſcias Eum *faventem,*
MUnus Ejus *ergò noſcas,*
Et ſubindè plura poſcas:
Dignus eſt decente laude
Abſq; confluente fraude.

ELi.

ELigit te promptus Ille,
Ejus ut trophæa mille
Evehas in Orbis Oris
Cultibus piis, canoris.
MARs quidem furore ductus
Impediret hoſce fructus;
Non ſed audet tranſilire
Terminum TONANTIS iræ.
TInniunt aures Tyrannis,
Quòd ſub hiſce creſcat annis
Enthei Verbi facultas,
Gratias feratq; multas.
NIl ſed obtinent minando
Nil Pios exterminando:
Namq; Summus Ille Cultor
Eſt Gregis fidentis Ultor.
USus Ejus Æquitatis
Fulget ex re Veritatis,
Quam Bonus tuetur usque;
Cedat Huîc rigor dolusquè!

DExteram ſi tollat Ille,
Mox mali graves ſavillæ
Corruent, nec invaleſcent,
Nec, velut priùs, caleſcent.
DR*Achmulæ nos* Ejus *aptæ*
A furente Fure captæ
Non ſumus magis, ſed Aram
Obtinemus, Axe caram.
ZO*na quippè* Soſpitantis
Nos gerit tenax Tonantis:
Nullus indè nos revellet,
Si Satan vel ipſe vellet.
V*Anus ergò plurimorum*
Omnis eſt timor Piorum,
Qui putant abeſſe JESUM,
Aut ab Hoſte fortè caſum.
AD *Thronum ſtat* Ille Patris
Et Tyrannis ſemper atris
Dexterâ *repugnat* almâ;
Vndè ſtat cupita palma.

MI-

MI*rus* Ejus *eſt* Amoris
Candor, & pii Favoris,
Quo tuetur Ille *flentes*
Deditos Sibi *clientes.*
NI *Bonus ſic eſſet, Hoſtes*
Funditùs ſubindè poſtes
Ejus *urgerent* Ovilis,
Grex ubi ſtat usq; vilis.
STRA*gibus pateret atris,*
Nec valeret eſſe clathris
Tutus à Lupis malignis,
Quin voraret hunc & ignis.
TOR*tor undiquâq; dirus*
Ferret infidele virus,
Ad gregem Sacrum *necandum*
Turpiterq; disſipandum.
CON*ſecratis ergò Votis*
Gratias litare totis
Mentibus decet PARENTI
Tam BONO, *Pios foventi:*

SI*t* Tibi Salutis Autor,
Altor Orbis, atq; Fautor,
Laus, Honor, Decus, Poteſtas,
Quam patenter Ipſe *præſtas.*
STO*ici* TE *nulla fati*
Contrahit vis concitati;
Tu *potes Polum movere,*
Vtq; Sol ſtet hunc monere.
RI*ctus innocens Leonum*
TE *iubente fit, Sebonum*
Copia cadunt, marina
Vnda ſtat velut carina,
PRA*xis omnis Impiorum,*
Quin & horror Inferorum
Comminante TE *recedit,*
Nec Tuos, ut antè, lædit.
GEN*tium* Sator Benigne,
Da, queamus quisq; dignè
Nomen *hîc* Tuum *ſonare,*
TE*q; ſemper invocare.*

SISte bella quæ videmus,
Et malum cui ſubiacemus
In feroces verte mentes
Cultibus Sacris carentes.
EV*agetur ne Tyrannis,*
Quæ cruentis ſæpè ſannis
Nos rapit, quatit protervè,
Corruat iam ter quatervè!
AN*gulus ſub Axe quisq;*
Sit Tibi *Sacer, Tuisq;*
Laudibus ſonet ſerenis
Veritatis arte plenis.
GE*ſtiemus ſic levati*
Denuò velutq; nati,
Gaudio novo repleti,
Ob Tuam Fidemq; *læti.*
LI*vor interim ſit extra,*
Quem potenti, CHRISTE, *dextrâ*
A Tuo *repelle Cœtu,*
Vt dein ſit absq; fletu.

CI*nctus utq́ſ ſit beatis*
Angelis Tibiq́ſ *gratis,*
Et Polo receptus almo
TE *canat perenne Pſalmo!* Am.

ODE XL. ADHORTATORIA, ad Gratitudinem erga DEUM, pro innumeris benefi-ciis, formandam & firmandam.

„ Nomine *qui* CHRISTI *ſua munia tempore triſti*
„ *Tractat, is in dio fauſtus erit ſtudio.*

Surge, quisquis es, *citò*
Nec magis quieſcito,
Quin DEI
Facta cantes flammei.

I*ntuere Sidera,*
Gratus & conſidera
Proſperam
Conditoris *Dexteram.*

Lar-

Larga plurimùm fuit,
Angelus quum præbuit
Patrii
Manſiones Atrii;
Veſtiitq́ nos Fide
Ac beavit providè
Plurimis
Dotibus pulcherrimis.
E quibus Satan licèt
Evocatos implicet
Sentibus,
Et dolis recentibus:
Suſcitantur at piis
Denuò veſtigiis
FLAMINIS,
Myſticiq́ Fluminis.
Tantá *quippè* flammei
Charitas *fulſit* DEI,
Dum malum
Suſtulit per hos Salum;

E Thronoq; FILIUM
Ob Bonum Fidelium
Miſerat,
Ceû diu promiſerat.
Rete rupit Dæmonis,
Quum ſuis Sacris ſonis
Fulminat,
Et pios illuminat.
Curat inſuper magis
In profanis his plagis
Obvios,
Ac Saluti pervios.
Utilem mærentibus
Se DEUM quærentibus
Fert modum,
Ad vigorem commodum.
Neminem vult ludere
Nec furentèr lædere
Qui ſapit
Et quod ILLE dat, capit.

Di-

D*iligentes diligit*
In viisq; dirigit,
Reſpicit,
Nullius ſpem deſpicit.
T*antulos* Tantus *fovet!*
Ad bonum promtus movet,
Flebiles
Suſtinens ut debiles.
M*ore* PATRIS *ferculis*
Implet, à periculis
Vindicat,
Nosq; CHRISTO *vendicat.*
A*nnuit petentibus*
SEq; *pœnitentibus*
Porrigit,
Negligentes corrigit.
N*ec ſemel Magnalia*
Præbet Orbi talia;
Singulis
Talis *eſt dieculis.*

N*empè novit ceſpite*
Nos creatos, ſoſpite
Dexterâ
Ferre Cælo cætera ;
U*nicumq;* SE DEUM
Nos habere, terreum
Spernere,
Hujus aujus ſternere.
S*i magis quid poſcimus*,
Ex datis cognoſcimus
Quàm bonus
REGIS Hujus *ſit Thronus*.
D*ebuit nil Patribus,*
Nil Nepotum partibus,
Nil Solo
Contumaci, diſcolo;
O ptimus *tamen fuit*
Eſſe cùm trux debuit
Singulis
Poſterorum ſæculis:

Con-

Contulitq; Gratiam,
Et vicuſim Gloriam
Redderet,
Hoc Decus qui prӕponderet.
Talium Nos conſcii
Spe pii negotii
Sic EUM
Flagitemus Entheum:
O CREATOR, ô PATER
Gratioſe ter quater,
Nos Tuis
Cinge Turmis arduis,
Redde nos gratos Tibi
Deſeraſq; nullibi
Servulos
Veritati credulos.
Mortis hinc diſcrimine
Liberos, & crimine,
Per Solum
Transfer ad Tuum Polum! A.

ODE

ODE XLI. Συμβολικὴ, de Heroico Chriſtianorum officio.

„*Nec metuit Sortis nec Mortis ſpicula* Fortis.

E*Tnicis fuit vetuſtus*
Chriſtianis *ſed venuſtus*
Eſt magis mos atq; iuſtus.

FA*rier neſcire multa,*
Facta ſed proferre culta
Charitatis arte *fulta.*

CE*rtiores ſunt honores,*
Quos pii dant usq; mores
Sanguinis noſtriq; rores.

RE*s loquuntur hoc Avorum,*
Fama durat ampla quorum
Ac frequentium laborum.

ET *quis hos nolit probare,*
Hoc Decus nec inchoare
In crucis viis amara.

PA-

PActa *quicquid* entheata
Exigunt, id corda grata
Aſſerant, malis gravata.
TI*grides rictu patente,*
Vel Leones ſæpè dente
Appetunt ſi quem cruentè;
FOR*titer reſiſtat illis,*
Terreatur nec cavillis,
Nec Meduſæis capillis.
TI*bias nec blandientum*
Curet, Hadriæq; ventum
Vsquequàq; turbulentum.
A DEI Manu *levatus*
In malisq; recreatus
Audiet, Poloq; gratus.
CHRIstus *huic adſiſtet aptè*
Gratiâ fovens ſuâptè,
Si rei flet damna captæ.
STI*gma ſi quod eſt relictum,*
Aut Cor innocenter ictum,
Non ſinet perire victum.

Arbiter *Supreme* CHRISTE
Hoſtibus noſtris reſiſte:
En, cupit Te campus iſte!
NOs *quidem pugnâ calemus,*
Absq; TE *ſed nil valemus,*
Immò victi ſæpè flemus.
RUMor *Hoſtis ergò cedat,*
Nec Tuos in Orbe lædat;
Colla ſed ſuperba dedat.
EST Tibi *mos nempè ſuetus,*
Sis ut ô tropæa lætus
Quæ quis auget Spe repletus.
Omnium PATRONUS *audis,*
Ergò frange tela fraudis
Ob Tuæ magmenta laudis! AM.

ODE XLII. ex Oratione Pii Regis Joſaphat. 2.Par.20. v.12.

„*Sub* clypeo *verè nos Optime* IOVA *tuere:*
Namq; PATER *verus noſter* Es; *Almus* HERUS.

„ *Eſt*

„ *Eſt ingens munus*, Tibi *quòd nos aſſeris* Vnus;

Infera Lerna Foci nil gerat hîcce loci.

„ *Nos* celer *à damnis & ab acribus eripe rhamnis,*

Ereptosq́; Solo deniq; redde Polo!

Q*Vum noſtra nutant pectora*
Tot inter atra tempora,
Quò noſtra ſint præſentibus
Vertenda vela flatibus;
Hac ſola Spes *ſaltem piis*
Reſtat, DEUS, *ſuſpiriis,*
Vt noſtra Vota triſtibus
Vertamus ad TE *vocibus.*
Audi precantes, ô DEUS,
Murus Tuis *ſis aneus!*
Sic TE *canemus ſingula*
Bonũ PATREM *per ſæcula.*

ODE XLIII. in gallicinio Matutino.

„ *Phe.*

„*Phoſphore* CHRISTE *veni, ſumus, en, cali-*
gine pleni, *eris!*
Quam ſi ſuſtuleris, carmine mactus

GAllus, *ſtatim dum Manè no-*
vum rubet,
E*xurge ſocors! voce ſonans iubet,*
Vrgetquè paſſim dormientes;
Sint alacres, vigiles clientes.
O*s pandit, omni nocte melos ciet,*
R*uris ſilentis dedecus ut piet,*
Ac excitet ſonore cunctos
Membra fovente ſopore functos.
G*ravem minatur ſi rabiem Polus,*
I*ntendit Oden, (nam ſuus is colus)*
Gallinulasq́, præmonendo
Munus obit ſolitum canendo.
U*tare ſenſu, quisquis es, arrige*
S*olers fideles auriculas, vige:*
En, Gallus *alter dat ſonorem!*
CHRISTUS *Is eſt; gere proinde*
morem.

Gra-

Gratis, ſa venter, quoslibet obvios
Accit moleſto crimine ſaucios:
Vt ſorde peccati remotâ
Corda gerant pietate ſota.
Laxat canendo guttur identidem;
Linquat ſoporẽ quisque colat Fidẽ,
Laboret, oret, vota fundat,
Materiem ſcelerum retundat.
Uretur Orbis, quando dies ruet
Suprema, flammã quæ rutilã pluet:
Tunc de malignis fiet actum,
Nunc ſonat usq; fidele pactum!
CHRISTUS *diſertâ voce palã facit,*
Hæc Hora quòd iã iamq; iubar iacit,
Quando malos addicet igni;
Vult igitur ſapiant maligni!
Rumpit ſilentis damna moræ ſtatī,
Urgendo cantu quemlibet affatim;
Inſtante iam mutatione
Quisq; malum fuge, ſurge pronè!

De-

Demonſtrat ergò Gallicinî ſonus
Iſtius,(omnes terreat hoc onus!)
Quòd ſingularum meta rerum
Ingruat, & veterum dierum.
Mentis veternus ſit procul ilicet,
Et Veritatis Lux *radiis micet:*
Iam vergit atrox Hora Mundo,
Omnia fine metens profundo.
Nullus Piorum corda tamen metus
Urat;favens queîs hic erit impetus:
Dorſo recedet namq; moles,
Dulcè fluent nitidiquè Soles.
S*upreme Natos Ipſe* PARENS *fove,*
S*acroquè* Flatu *pectus iners move;*
O nos Beatis infer Hortis,
A Stygiis trahe JOVA *portis!*

ODE XLIV. MATUTINA.

„ *Dum Tribui noſtra tribuis,* PATER *Optime, lucem,* Ducem.
Mox ſuperande Crucem TE *colit usq;*
O San-

O Sancte Cuſtos *omnium*
REX & PATER *Fidelium,*
Te laude purâ tollimus
Tibiq́ *grates pſallimus:*
Hâc nocte quòd nos ſuavibus
Protexeris complexibus;
Tot inter (heû) pericula,
Hoſtisquè mille ſpicula.
O Summe *nunc item* DEUS
Dux *eſto noſter* Entheus!
Nos per Vias Tuas *rege,*
Et ne cadamus protege.
Nam ceû Leo, ſic perditus
Oberrat Orci Spiritus,
Deſiderans ferocibus
Nos devorare faucibus.
Hunc mille geſtit impiis,
Iuvare Mundus gaudiis,
Caroquè noſtra devia
Huius terit veſtigia.

Hec

Hæc monſtra Tu *repellito*
Tuam*què* Lucem *ſpargito;*
Vt Hanc *ſequamur, proſpera*
Cùm nos reviſat veſpera.
Tum TE *loquemur dulcibus*
Bonũ PARENTEM *plauſibus;*
O nos tuere ſingula
Clemens DEUS *per ſacula!* Am.

ODE XLV. MATUTINA.

,, *Nocte dieq́,* meum *quæro feroquè* DEUM!

O *Certa Spes Tuorum*
JEHOVA *Filiorum,*
TE *prædico* PARENTEM,
Tu *nocte me iacentem*
Ab hoſtium protervis
Tutatus es catervis.
O nunc item PATERNA
Me DEXTERA *guberna,*
Ne cogitatione,
Verbo vel actione,

Le-

Legum *decus* Sacrarum,
Contaminem Tuarum.
Et ne cadam iuvato,
Vel ſi cadam levato;
Et fac ſecundiores
*Meos,*PATER,*labores,*
In omnibusq́ præſtò
Mihi malis adeſto.
Nam ſcis ut Hoſtis Ille
Technas dolosq́ mille,
Scis ut venena miſcet
Quibus Tuos *ineſcet:*
Hunc Tu *ligato denis*
Verbi Tui *catenis.*
Hoc per benigniorem
GNATI Tui *Favorem*
PATER Supreme *præſta;*
Sic cantione feſtâ
Gratus Tuum levamen
Cantabo ſemper. Amen!

ODE XLVI. MATUTINA.

Noctem pelle trucem, faciasque nitescere
Lucem! *adusq; crucem.*
Nam TE, CHRISTE, *Ducem ſcimus.*

N*Ox ceſſit ob Lucis vices,*
DEUM *rogamus ſupplices;*
Ut pectus & ſenſus regat,
A labe criminis tegat!
Linguam favore muniat,
Cum proximis nos uniat;
Mentiq; frenos inſerat,
Ne quid licentiùs gerat.
Fides *ſit inſtar Luminis,*
Quæ *nos ad Aulam* NUMINI
Tutò queat perducere,
Sed absq; Cordis ulcere.
Sic Vota ſemper ſeduli
Tibi *canemus ſervuli;*
Nos interim Tu *corrige*
Manumq; lapſis porrige.

PA

PATRI Supremo *ſit Decus*
GNATOq; Patris *haud ſecùs,*
Sit & Benigno FLAMINI;
Tribus,*ſed* UniNUMINI. Amen!

ODE XLVII. MATUTINA.

"*Ad* DOMINI *laudes lux orta, recedite fraudes!*

M*Anè ſurgentes tepido cubili*
Corde contrito neq; Mente vili,
Has preces Rerum *canimus* PARENTI
Cuncta regenti:
Nomen *in celſis,* PATER Alme, *Cælis*
Sit Tuum *Sanctum;* Tua Regna *velis*
Proſperis tandem veniant, futuris
Libera curis.

Sit Tuum *Terris, ut in Axe*, Velle;
Da cibos nobis; ſcelus omne pelle,
Proximis noſtris pariter rogatus,
Tolle reatus!

Neve tentari ſine nos maligno
Spiritu; CHRISTI *quoniam* Benigno
Liberi facti ſumus in Favore,
Atq; Cruore.

Hinc Tuum *creſcet* Decus *ac Poteſtas,*
Creſcet & Sceptrum *quod ubiq; geſtas,*
Nosquè creſcemus ſimul, ob levamen,
Quod dabis. Amen!

ODE XLVIII. MATUTINA.

„ *Si de manè manes Manibus munitus* Iëſu,
„ *Non te Styx poterit potu vexare vel eſu.*

Gra-

GRates Tibi DEUS *fero*
Vocis ſonore proſpero,
Tuum *per Almum* FILIUM,
Qui *Fautor eſt Fidelium:*
Quòd noctis huius tempore,
In quo nimis graves moræ
Fuêre, me protexeris,
Mihiq; TE conceſſeris.
TE *quæſo ſubmiſſâ prece,*
Me FILII TUI *nece*
Emptum; levato crimine,
Quod Cordis eſt in limine.
Suprà meas res exere
Tuæ *vigorem* Dexteræ,
Tibi *probetur otium*
Meum, ſimul negotium.
Mecum Tuus *ſit* Angelus,
Qui ſiſtat imminens ſcelus,
Et Dæmonis vim reprimat,
Ne quid mali trux exprimat.

Amen *ſonabo ſuaviter,*
Vt SUMMUS *Orbis* ARBITER,
Avertat omne quod nocet
Et præbeat quicquid docet!

ODE XLIX. MATUTINA.

„ *In ſomnis etiam* Divina Potentia *donis*
„ *Me beat,* Huic *pronis ergò vacabo ſonis.*

☉ N*Ox vaga ceſſit,*
Sorte regeſſit
Sol taciturnâ
Fata diurna.
☉ *Gloria* PATRI,
Qui *ducis atri*
Hinc opus iræ
Juſſit abire;
☉ *Meq́ refotum*
Plaudere totum,
Cireq́ venam
Fecit amœnam.

☉ *Quàm*

⊙ *Quàm Bonus* Es Tu
Mi DEUS, *aſtu*
Plene favoris,
Omnibus horis!

⊙ Tu *mihi pronus*
Porrò PATRONUS
Semper adhære,
Meq́ tuere!

⊙ Tu *rege, fulci*
NVMINE *dulci;*
Poſtq́ Coronâ
Cælite dona.

⊙ TE DVCE *ſolo*
Agmina nolo
Sæva timere,
Docta tumere.

⊙ *Sic fore ſpero,*
Nam Tibi vero
Fido PARENTI
Cuncta foventi! Amen.

ODE L. MATUTINA.

„Nos niſi protegeret ſtertentes Gratia Cæli,
„Corriperent hoſtes Stygii vexamine Zeli.

O Unitatis TRINITAS
O Trinitatis UNITAS,
Iam Sol redit, poſcentibus
Infunde Lumen cordibus!
Te *manè laudum munere*,
Te *proſequamur veſpere*,
Te *noſtra ſupplex vocula*
Per cuncta laudet ſæcula.
DEO PATRI *ſit gloria,*
Sit FILIOq́; *propria,*
Nec non Sacrato FLAMINI,
UNI *colendo* NVMINI! Amen.

ODE LI. MATUTINA.

„Aurem Auroræ cùm Sol renovatur honore,
„Ne pereant horæ, tu damna rependo labore.

Iam

JAm rurſus, ecce, *vili*
Surreximus cubili!
Nil reſtat ergò, totâ
Quàm mente ferre vota.
Laus ſit DEO potenti,
Quòd nos Manù *faventi*
Protexit, hanc ad horam
Amabilem, canoram.
Sunt fracta tela mille,
Quæ præparabat ille,
Qui noſter hoſtis audit,
Nec ora ſæva claudit.
Iam nil timemus illum,
Ceu prorſus imbecillum
Factum, juvante CHRISTO
Nos prælio ſub iſto.
Oremus HUNC *faventem*
Gnatus ſuis PARENTEM;
Vt noſter eſſe pergat;
Peccata fœda tergat:

Vt colligatq; Cœtum
Nos inter hîc quietum;
Dei Gratiamq; *cunctis*
Sacro favore iunctis.
O Sempiterne TUTOR
Vitæq; reſtitutor,
Ne nos Tuos *clientes*
Relinque pænitentes!
En, *cuncta noſtra facta,*
Iuxta beata pacta
Tibi PATRI *ſacramus,*
Opem fer, obſecramus!
Averte damna quævis,
Et fac carere nævis
Devota corda Cælo,
Sub carnis hocce velo.
Poſt acta deînde fata,
Da Regna *nos* beata
Videre poſſe latè,
Ac perfrui quiete! Amen.

ODE

ODE LII. MATUTINA.

„ *Lucis honore novâ recreatus, ubique* IE-HOVAE
„ *Carmina læta canas, & fibras excole ſanas.*

QUi *ſuper altâ nube ſitas*
Ætheris arces REX *habitas,*
Fautor & Altor *munifice*,
Prora quietis ſalvifica!
Quas modò noſter fert animus,
Has TIBI *laudes occinimus.*
Incolumes hac nocte Tuis
Quòd dederis nos excubiis.
Nos PATER, *omnes ulteriùs*
Perge tueri propitius.
Ne petulantes inſidiæ
Fortè trucident nos hodiè,
Quas Satanas trux hic glomerat
Dum variis damnis onerat,
Tu *ſed in illum ſufficias*
Omnipotentes ſuppetias.

Vincere da cum laude Tuâ
Caſtra Stygis vi præcipuâ.
Degere fac nos in medio
Cælitis Aulæ *præſidio:*
Vt TIBI *grates noſtra piis*
Cantica dicant evlogiis.
Laus in Honorem ſumma Tuum
Duret in ævum perpetuum! A.

ODE LIII. MATUTINA.

„ *Corpore qui ſurgis, nihil eſt niſi mente reſurgas:*
„ *Sed facis hoc, quoties à crimine corda repurgas.*

* N*Octe iam fugatâ*
Cantemus, ô Pii!
Idq́ue mente gratâ
Præſtemus obvii,
Vox per Aſtra lata
Primi ſtet otii.
* *Ecce nos reprêndunt*
Leves aviculæ,

Quæ

Quæ DEO *rependunt*
Pæana ſingula.
Denuoq; gaudent
Quò ſors diecula.
* *Quin & ipſa bruta*
Iumenta cum feris,
Pro quiete tutâ
Luſtrisq; proſperis
Vota dant ſtatuta
Mugitibus meris.
* *Ergò Nos & ipſi*
Nunc Vota ſolvimus,
Quòd ſub hâc eclipſi
Noctem peregimus,
Nec ſumus relapſi
Quò ſæpè tendimus.
* *Non id impotenti*
Noſtra volentiæ;
Sed Tuæ faventi
DEUS *potentiæ.*

Atq; providenti
Adſcribimus Viæ.
* *Porrò* TE *rogamus,*
PROTECTOR *omnium,*
Fac diem queamus
Videre pervium,
Ne quis uncet hamus
Noſtrum negotium.
* *Labe da ſolutis*
Cavere quod nocet,
Indigos Salutis
Ne forſan avocet,
A Tuis Statutis,
Peſſumq; collocet.
* *DA probè labores*
Effectui dare,
Candidosq; mores
Per Orbis hoc Mare
Poſſe certiores
Habere cum Lare:

* *Pro-*

* *Proximos juvando*
Vivamus ut piè,
Sacra viſitando
Theatra GRATIÆ,
Spemq́ ſuſcitando
Salutis anxiè.
* *In quibus iuvamen*
Largire ſingulis
O DEUS, *levamen*
Præbens piaculis;
Sic canemus Amen
Functi periculis!

ODE LIV. MATUTINA.

,,*Manè reſurgendo manifeſta pericula cerne,*
,,*Quæ* DEUS *avertit, te ſervávitq́;* Paternè,

C*Oram* DEO *procumbere*
Decet Pios & credere,
Laudes quòd audiat pias
Fraudesq́ ſiſtat obvias.

PA-

PATER *Supreme*, TE Tui
Servi rogamus cernui;
Vt nunc & omnibus moris
Nos dirigas intùs, forìs.
Turmas coerce Dæmonis
Tuisq́; nos fove Bonis;
Solare mentes anxias,
Averte clades noxias.
Labris dolo ſcatentibus
Mendacio patentibus
Suetisq́; nos proſcindere
Clathrum potenter ingere.
A morte nos improvidâ
Dextrâ tuère vividâ;
Securitas ne nos malis
Infeſtet auc̃ta ſcandalis;
Nobis foras euntibus
Domumq́; feſtinantibus,
Adeſto ſemper cominùs,
Ne deviemus eminùs.

Per

Per ſemitas huius Sali
Nos ſauciet nihil mali,
Clementiæ Tuæ Favor
Adſit Tuis, abſit pavor:
Vt FILII Tui *piâ*
Corroborati Gratiâ
Grates TIBI *cum* FLAMINE
Demus perenni Carmine! A.

ODE LV. MATUTINA.

„ CHRISTUM *quære* Ducem, *qui quæris ab Æthere Lucem!*

O PROLES pia Maximi PARENTIS,
Humanæ Sator, Arbiterq́; *Gentis!*
O Lux, ô jubar *Enthei caloris,*
O Sol *perpetui* Sacer *valoris!*
En, nox præteriit, nitetq́; rurſus
Auroræ facies celerquè curſus;
Cælum purpurat & diem relaxat,
Ignavos homines in Orbe taxat.

Sed

Sed fuſcat gravis impeditq́ꝫ Mentes
Nox paſſim tenebroſa, TE *timentes*,
Erroresquè ſerit vagos, nocivos,
Diffundens ſcelerum per oſſa rivos.
Hinc caligine nubilisquè toti
Squalemus, vitiis Polo remoti.
Tu puriſſime SOL, *Datorquè Lucis,*
Qui *Mundo placidū diē reducis,*
Exſurgas citò, Mentiumquè duras
Noctes diſcute, Cordiumq́ꝫ curas.
Innatam glaciem calore Verbi
Diſſolvas, ut & Ingenî ſuperbi.
Noſtri pectoris arva Te PARENTEM
Quærunt perpetuò ſibi faventē.
Humorum rigidos retunde fluxus,
Ne quis progrediatur indè luxꝰ.
Abſit peſtifer, & protervus æſtus,
Abſit frigidus horror & ſceleſtus!

Sic

Sic cum fœnore centuplo vireſcent;
Sic fructu ſapido perennè creſcent!

ODE LVI. MATUTINA.

„Surgas qui dormis, Sacris operareq́ Normis,
„Quæ tibi præſcribunt Vitæ monumenta capita.

E*N, nox præteriit! pias*
Promamus memori pectore gratias:
Ingens Laus, Honor, & Decus
Sit PATRI Supero, *ſit quoq; nō ſecùs*
Gnato, Flamine *cum* DEO,
Qui *Terras hilarat Lumine flammeo:*
Quòd nos nocte ſub aſperâ
Texit, quódq; dedit ſomnia proſpera:
Et tetram Stygii Ducis
Eliſit rabiem, tela, dolos, trucis.
TE *nos, ô* PATER Optime,
Ex mentis latebris poſcimus intimæ;

Sa-

Sacro Flamine *nos rege*,
Ac longè retrahas à Satana grege.
Adſis ò Bonus, *ut* Tui dui.
Laus hâc Luce micet Nominis ar-
Tu *nobis facilis fave*, *grave*.
Nè quicquam noceat Mortis onus
Aufer cæca pericula,
Et ſortis rabidæ tetrica ſpicula,
Cœtus Angelici ſuâ
Sint hîc, atq; regant nos ope mutuâ.
Et quum confluat hîc pavor,
Illū, da, Tuus *ut præveniat* Favor.
Gratùm cælitùs appluat
Nobis auxiliū, quod ſcelus abluat!
Spes infallibilis piæ
Nos firmet ſtabili pondere Gratiæ,
Corpus, Mens ut & omnia
Quæ largà *tribuis* Munificentiâ
Currant tramite proſpero,
Donec Sol gelido ceſſerit Heſpero! A.

ODE

ODE LVII. MATUTINA.

„*Optimus in Studiis Sol matutinus habetur:*
„*Quisquis es, huic ſemper te trадito, ſi tibi detur.*

Blandâ quiete ſuaviter
Somnoquè iuſto largiter
Iam recreati ſlentium
Sumpto vigore mentium,
Tibi PATER Sanctiſſime,
Cuſtosquè noſter Optime,
Grates Tuum *per* FILIUM
Sonamus, Orbi pervium;
Quòd nos *ab aſtu Dæmonum*
Protexeris per TE Bonum,
Tuamquè per Potentiam
Et ſingularem Gratiam.
Iam TE *rogamus, ô* Pie
PATER, *velis nos hâc die*
Servare tutos omnibus
Ab Hoſtium furoribus.

Da

Da cuncta præſens actio,
Quam noſtra fert Vocatio,
Vt vergat ad Decus Tuum,
Bonumquè Fratris mutuum!
Nos Angeli Tui regant
Hoc fine qui Polos ſecant,
Ius ne quod in nos Spiritus
Vſurpet, ad malum citus.
Sic tàm BONO *Laus* NUMINI
Tuo*què Sacro* Nomini
Cedet, per horas perpetes;
Rumpatur invidus Getes! Am.

ODE LVIII. Animæ deſiderio CHRISTI flagrantis.

„*Quis* CHRISTUM *præter* DEUS *eſt?* Hunc *concinit AEther, profundi,*
„ Hunc *etiam Mundi colit & Maris undæ*

SOl *ſerene, fons honorum,*
CHRISTE, *lumen ò decorum,*
Flos honorum caſte morum,

No-

Noſtra Mens anhelat ad TE
Feſſa rerum pravitate,
Gratiam *requirit aptè.*
Cerva ſicut ad fluenta
Acanum turbâ cruentâ
Currit, æſtu turbulenta:
Sic Tui *voto cietur*
Noſtra Mens! fac ut iuvetur,
Et ſuâ Spe recreetur!
Nos Tui *ſumus Clientes,*
Vix nefas intelligentes
Quod patramus hic vigentes.
Eſto noſter ergò Tutor
Gratiæq; reſtitutor,
Ac Salutis executor.
Nempè Noſter Es CREATOR
Supplicumquè Liberator:
O ſimul ſis Expiator.
TE *vocamus & rogamus,*
Sub Tuo favore ſtamus,
Ah, remitte quæ patramus!

Sic

Sic Tibi *grates canemus*
Hoc in Orbe dum manemus,
Inquè fluctibus mademus:
E quibus Benigne CHRISTE
Evocatos Axe ſiſte,
Pectus erigasquè triſte! Amen.

ODE LIX. ex Oratione Dominicà.

" *Vt tua, ceû telum, penetret Sacra Cantio Cælum,*
" *Fida ſit, & ferVens, ſit ſtata, ſitquè frequens.*

O Qui *ſedes in AEthere*
PATER, *inbesquè fœdere*
Vt invicem nos fratrio
Ligemus, & TE *Patrio*
Ritu colamus; fortibus
Fac id ſequamur motibus!
Da ſeminetur ſingulos
Nomen Tuum *per angulos,*
Fru-

Fructumq́ fundat longiùs
Et prædicetur puriùs;
Fuga Prophetas impios,
Ac in viam duc devios!
Regnum Tuum fac floreat
Vbiq́ vires augeat,
In nos Tui vim Spiritûs
Effunde, ne nos perditus
Tuumq́ vexet impiis
Cœtum Satan ludibriis.
Da Terra, Cælum, dulcibus
Tuis regantur Legibus;
Si quando crux nos proterat;
Da fortiter Mens perferat;
Dæmon ſuis nil artibus
Obſtet piis conatibus.
Hâc luce confer munera,
Quæ Corpori ſunt proſpera;
Confer quietem, bellica
Longè repelle claſſica!

Avara mens procul ruat,
Verbum Tuum *nos inſtruat,*
Culpas graves, per aſpera
GNATI *remitte* funera,
Patrata ſicut ſontibus
Nos parcimus Sodalibus:
Fac ut ſequamur dulcia
Pacis Tuæ *commercia.*
Nec nos capi malo ſine
Sævi Draconis turbine;
Dextrâ-ſiniſtrâ nos Tuus
Tegat Miniſter *arduus;*
Ut ſic reportemus piam
Forti Fide *Victoriam.*
Ab omnibus nos triſtibus
Tutos, PATER, *fac caſibus,*
Nos ſorte turpi libera,
Mori quietè proſpera;
In Morte Dux *ſis* proximus,
Dextræ Tuæ *nos tradimus.*

Hoc

Hoc ſit ratum, communibus
Dicamus Amen *cantibus;*
Erit ratum, confidimus,
Tuisq; Verbis *credimus:*
Erit ratum! Nam cernuo
GNATO *negas nihil* Tuo.

ODE LX. Ejusdem Materiæ.

„*Rumpe moras,* DEUS, *alta ſilentia rumpe,*
rogamus, (*minamus!*
„*Votaq; ſuſcipe, ſint rata præcipe, quæ ge-*

☞ C*AEli* MONARCHA *clari*
Qui *nos iubes precari*
CHRISTOq; *vota digna*
Manu capis benignâ.
☞ *Audi preces vocantûm*
Nitentiumq; tantùm
GNATI Tui *Cruore,*
Ac Funeris rigore.

☞Nomen Tuum *Beatum*
Nobis fac eſſe gratum;
Ut Ejus *Alma Iura*
Bibamus aure purâ.
☞*Cæleſtis Ille Tractus*
Noſtros ſecundet actus,
Ne tetra culpa mentes
Præceps agat furentes.
☞*At quæ* Tibi *Voluntas.*
Hæc noſtra ſit Voluptas,
In hoc quoad profundo
Hæremus usque Mundo.
☞*Da* Fautor Alme *Victum,*
Ne deneges amictum;
TE *Grex rogat Tuorum*
Puſillus Orphanorum.
☞*Turpes remitte nævos,*
Æſtus retunde ſævos;
Ut Proximos amemus
In Charitate ſtemus.

Dex-

☞ *Dextrâ potente, mirâ,*
Tentatione dirâ
Nos libera Draconis
O REX Potens *Sionis!*
☞ *Præſente deindè morte*
Cum Cælicâ Cohorte;
Duc nos, ubi levamen
Vitæ perennis. Amen!

ODE LXI. Pro rebus neceſſariis, ex Oratione Dominicâ.

„Oremus hîc concorditèr,
„Ut audiamur jugitèr.

O PATER *in Cælis, noſtris intende querelis!* *(ramus:*
Ut TE *quæramus cultu, vultuq; fe-*
Hinc TU *nos ſervos fac non magis eſ-*
ſe protervos.
*Quod-*TIBI-*cunq; ratum, cunctis ſit*
amabile, gratum,

Sicut apud Divos, ita nos penès hìc quoque vivos,
Da nobis miſeris victum, da promptus amictum!
Da veniam faſſis, & Dextram porrige laſſis:
Nos ſimul ut multos lapſus patiamur inultos.
Fac ne tentemur, vel victi ne ſuperemur!
Damna procul pellas & in ipſâ ſtirpe revellas.
TE *decet hoc* Regem, *decet hoc quam fers* TIBI Legem,
Hoc Tua Majeſtas, *hoc poſtulat ipſa* Poteſtas,
Atq; Tuus *creſcens* Honor, *& ſine fine vireſcens.* Amen!

ODE LXII. Ex Eâdem Oratione.

„ Nun-

„*Nunquam peccandum, ſed ſemper ubique*
precandum
„*Non fruſtrà dixit,* Qui *Victâ Morte reVixit.*

O PATER *noſter* Superne,
Æviatis ſempiternæ,
Filios qui *voce* CHRISTI
Nos Tuos dici tuliſti.

Corde puro, TE *rogamus*,
Da Tuum Nomen *colamus*,
Ne profanâ pravitate
Polluatur inquinatè.

Da Tui Regni *paratum*,
Fac Tuum *venire* FLATUM,
Hac piè da ferre fata,
Poſt frui vitâ beatâ.

Sancta *ſit Solo* Voluntas
Res gubernet Sola *cunctas*;
Ceû Poli Regnis amœnis
Cuncta ſtant Tuis habenis.

Da Tuo *de* pane *victum*
Provide nobis amictum;
Quod diurnus poſcit uſus
Fer, veta malos abuſus.
Qui*que nos gravant* reatus
Sis remittendis *paratus,*
Vt reis noſtris apud nos
Eſt remittendi pius mos.
Ne dolis tentationum
obruamur, pande donum,
Gratiam Virtutis almam;
Ferre fac ab hoſte palmam.
Quin ab omni *nos* perîclo
Libera *vitaquè vinclo,*
Libera Mundi catenis,
Vltimis exolve pœnis.
Namque Regni Sceptra *quæque*
Obtines, perennis æquè,
Gloriaquè grande lumen
Et Potentiæ cacumen. Amen!

ODE

ODE LXIII. Ejusdem Sensûs.

,, *Si cor non orat, fruſtrà tua lingua laborat.*

TE, DEUS, Patrem *vocamus*
In Fide JESU *rogamus:*
Propter Hunc, *quæ nunc ſonamus*
Vota compleǃ ſupplicamus.
Dogma Sanctum, Sancte, *ſerva;*
Regna deſtruas proterva.
Velle *da* Tuum *ſequamur,*
Vi licèt gravi premamur.
Protegas, quæ poſſidemus;
Augeas queis indigemus:
Tecta, Panem, *Sanitatem*
Confer, uni Civitatem.
Tetra dele facta prorsùs,
Dæmonis retunde morſus,
Poſſe da mori beatèǃ
REX *Potens* Es: *Robur à* TE.

Fiat! *ex Fide loquamur;*
Hanc adauge TE *precamur!*
Nos fove ſemper Paternè,
Et Tuos fac ſempiternè. Amen.

ODE LXIV. Ex Symbolo Apoſtolico.

„ Symbolicus Fidei conſenſus ad AEthera tenſus, *(ſuctum.*
„ Dat Menti fructum, Pietatis ab ubere

S*Vpplex confiteor* DEUM Parentem! *(tem.*
Fecit namque Soli, Poliquè gen-
Nec non confiteor PARENTE *natum*
Extrà ſacula FILIUM *Beatum.*
JESUS CHRISTUS *Ei perenne Nomen,* *(men,*
Servator, Dominus, Salutis O-
Aurà *concipitur* potente, Diâ,
Purâ naſcitur ac Homo *Mariâ.*
Paſ-

Paſſus Præſide Pontio Pilato
Ligno figitur (ah!) furente fato.
Vitâ functus humo datur vi-
genti, *(ti.*
Aulæ cognitus Inferûm rigen-
Vix-dum tertia fax Polo reluxit
Vivum quæ Dominum *Solo re-*
duxit. *(nam*
Cæli dein ſubiit Domum Super-
Dextram *poſſidet arduus* Pa-
ternam. *(bit,*
Hinc Agnis pius Arbiter *redi-*
Hircorum malè fax olens peri-
bit. (MEN,
Quin & confiteor Perenne FLA-
Veri præſidium, Sacrum Leva-
men; *(Piorum*
Cœtum Quod *regit Inclytum*
Nexu corda ligans ferace Mo-
rum.

Hic Noxæ veniam ſubindè quæro: (*ſpero.*
Vitam poſt cineres novamquè
Plaſtes *Maxime*, Gnate, Tu*què*
Flamen, (Amen.
Augmen da Fidei Benignus!

ODE LXV. Ejusdem Sententiæ.

„ IOVAE *fidendo, benè vivendoq; Salutem*
Qui quærit, nunquam turpitèr ille perit.

IN Unicum *credo* DEUM
Patrem *Creatorem meum,*
Qui *cuncta fecit Gratiæ*
Suaquè vi Potentiæ.
In Ejus Unicum *Pium*
Ex corde credo Filium,
Qui *Splendor eſt, & Patriæ*
Perennis Icon Gloriæ,

Vir-

Virtute Sancti Spiritûs
Conceptus eſt qui cælitùs:
E Matre natus Virgine,
Non è viri propagine.
Qui *ſub Pilato Præſide*
Horrenda paſſus perfidè,
Neci cruentæ traditus
Eſt in ſepulchro conditus.
Tum viſitavit inferos,
Primi Parentis poſteros
Redemit, atque tertio
Die reſurrexit, ſcio.
Aſcendit hinc ad æthera,
Patris *ſedens in* Dexterâ:
Redibit indè, ius ſuum
Vt cuique det mortalium.
In SPIRITUM *ſimul* DEUM
Credo, Levamen Entheum,
Cum PATRE, *cumquè* FILIO,
Eſt qui *piis ſolatio.*

Quin credo ſic Eccleſiam,
Credentium Matrem piam:
In quâ datur Communio,
Et ſpiritalis Vnio.
Hîc conſequar quòd omnium
Credo piamen criminum;
Et quòd reſurgent corpora
Summâ die, nullâ morâ.
Poſt hancce vitam *pallidam*
Reſtare credo ſplendidam,
In quâ piis cum Cœtibus
Fruar Bonis perennibus! Amen.

ODE LXVI. DECALOGUM continens.

„ *Objectum Fidei* Vox *manet* Alma DEI.

A*Vdite cuncti, quæ* JEHOVA *præcipit,*
Beatus eſt, qui percipit!

Me,

Me, me *veretor*, (*inquit*) Unicum
Abominator aureos. (*Deos*
Cave profanes Nomen *impius* me-
Verere vindicem DEUM. (um,
Sex in labore pone debito dies,
Sit Luce ſeptimâ quies.
Matrem Patremq́ magnifac, ut pro-
Diuq́ poſſis vivere. (*ſperè*
Iram coërce, dexteramquè contine
Ab innocenti ſanguine.
Ne ſis adulter, ſtupra vites noxia,
Inceſta vites gaudia.
Per fas nefasq́ rem Tibi ne quærito,
Cum fraude furta linquito.
Teſtare verum, falſa proloqui cave,
Ac innocentibus fave.
Ne concupiſcas Proximi domum Tui;
Suis ſit ipſi fas frui.
Sit Vxor illi pulchra, ſint boves, ſine,
Manumquè cunctis abſtine.
Hæc

Hæc *ſunt* Statuta, *quæ* JEHOVA *præ-*
Beatus eſt qui percipit! (*cipit*,

ODE LXVII. Ejuſdem Senſûs.

,, Numina vera *Fide firmà cole, fictaq; ride;*
,, *Nam ſulè* IOVA *coli non niſi voce Poli.*

P*Racepta dena, quæ* DEUS
In Monte ſanxit flammeus
Revolve ſæpè, qui ſapis,
Durus puteris ne lapis.
Non, inquit Is, *colas* DEUM
Me *præter*; *&* Nomen Meum
Non vanus aſſumas; Dies
Dum Sacra lucet, ſit quies.
Sit debitus Parentibus
Honor; Manus non cædibus
Fædabis; Haud furaberis;
Nec turpiter mæchaberis;

Nec

Nec falſa teſtimonia
Loquare; Patrimonia
Non poſtules; nec intimi
Rem Coniugemquè Proximi.
Hæc ſi facis, te ſedulum
Putes JEHOVÆ *ſervulum:*
Si non facis, fac ò citus
Eſt donec in te Spiritus!

ODE LXVIII. è Præceptis Decalogi.

„Summi DEI *Statuta*
„*Mens ſæpius Voluta.*

Q*Visquis es, hûc ſenſum per multa negotia tenſum*
Verte, Panomphæus *ſic tonat Axe* DEUS: (*tibi munus,*
En, Ego IAH Unus, *Vita per* quem
Plebs mea nunc totâ mente ſequenda nota.

Me

Me *cole: fer caſtos ritus, fugiasque*
Deaſtros; (*ce, ſcias.*
Sculptile ne facias; perſequor hoc-
Ne MEA *ſub vanum refer uſum ſive*
profanum (*ſtriis.*
NOMINA; *ſi Stygiis vis carniſſe*
Sabbata ſanctifices, in queis ſacra
dogmata diſces, (*Patri.*
Adſit honos Matri non minùs atque
Iræ parce truci, nullum nece ſubtrahe
luci: (*lecebras.*
Sperne mali ſcatebras corporis il-
Hinc aliena ſinas, fuge furtum, lin-
que rapinas: (*colas.*
Falſiloqui caveas crimina, pacta
Nec cupias pravè Socii Politevma
ſuäve; (*&-eant.*
Ne tua diſpereant Propria, trans-
Verbo! Quæ non vis, aliis ea figere
nolis; (*iſtud agas.*
Et tibi quod ſatagas, omnibus

REX Ego *vindictam certè volo ſumere ſtrictam;*
Trux manet huncce focus, cuî mea juſſa *iocus.*
Legis Apex JESU, *nos læſos Patris ab (eſu*
Conforma Legi, iunge Tuoquè Gregi!
Heû mala patramus! noſtri miſere-(re, rogamus;
Dele perpetuò crimina rore Tuo! Amen.

ODE LXIX. EX DECALOGO.

„ *Non ceſſat ſolito nos* IOVA *fovere favore,*
„ *Si modò ſervamus, pulſo,* ſua juſſa, *pavore.*

DEUS *perennis Rex Poli*
Noſci volens cunctis Soli
Vt Iudaici liberis,
Sic Chriſtiani poſteris
Vtrisque præſcripſit Suæ
Statuta Legis *arduæ.*

Ad-

Audi! (*tonat de Sidere* :)
Ego JEHOVA, *proſperè*
Ex ſervitute noxiâ
Te liberans AEgyptiâ!
Me *præter* UNUM *flammeum*
Nullum colas prorsùs DEUM.
Ad Vanitatum crimina
Ne Noſtra *transfer* NOMINA
Dicto vel actu fervido,
Aut corde multum perfido;
Sciens, futurùm Iudicem,
Mali Boniquè vindicem.
Sacri memento Sabbati,
Nec-non Mei *Cultûs ſtati,*
Verbum *fac audias* DEI,
Ex quo fluit multùm Spei,
Fidesquè fit feracior
Oratioquè gratior.
Tui Parentes corporis
Mentisquè, ſingulis moris

Ho-

Honore tractes debito,
In hoc tenaciter ſito,
Diu queas ut vivere
Mactus bonis ſub Aethere.
Nullum ferox interfice,
Sed Charitatis inſpice
Quid ius requirat, ut ſcias,
Nec eius aſperes vias,
Memor JEHOVÆ, quem *time,*
Ardore mentis intima.
Nec eſto fornicarius,
Adulter aut nefarius:
Nam ceu placent caſti DEO,
Sic corde diſplicent reo,
Vtroque ſexu labiles
Culpisque deteſtabiles.
Furtum cave committere,
Contentus eſto munere,
Quod Summus Ille *dat* PATER,
Nec dat ſemel, ter, vel quater,
Ve-

Verùm dat horis omnibus
Cunctis ſuis cultoribus.
Ne falſa teſtimonia
Loquaris ex Simoniâ,
Nec falſitatis ſis reus;
Nam iudicat tales DEUS
Mendaciumquè vindicat:
Væ quisquis hoc multiplicat!
Domum tui ne proximi
Tam parvuli quàm maximi,
Nec Coniugem deſideres,
Vel ſi qua ſpectet huncce res:
Ex-appetitu ne malo
Naſcatur anſa ſcandalo.
Hæc ſcita ME *præſcribere*
Alto ſcias ab Æthere.
Frequenter undè fulmino,
Et quæ volo determino!
Tu fac ſequaris ME DEUM
Verbiquè Lumen *entheum.* A.

ODE

ODE LXX. Pro felici ac facili Studiorum ac Vitæ decurſu.

„ *Quum docet ac dicit, quum ducit ad Aſtra* MAGISTER:
„ *Quis non attendat tendatq́; per aſpra miniſter?*

CHRISTE JESV, Rex Superne,
Et Patrone *Sempiterne*,
Gratiæ *Sator* Paternæ.

Da Tui *verum timorem*,
Quin Tui *da nunc amorem*,
Applicans PATRIS *favorem*.

Fac Tibi *ſervire* REGI,
Ac Tuæ *ſubeſſe Legi*,
Huius ob lucrum diei.

O rubentis flos *Cruoris*,
Fons *ſuperni* vive *roris*,
Da Tui guttam *vigoris*!

Sol *perennis AEquitatis*
Dos *amata Veritatis*,
Da penu *Beatitatis*!

Pro-

Proſpera noſtrum laborem,
Fac TIBI *gesſiſſe morem,*
Cælicumquè des honorem.
Hoc Tuæ Benignitatis
Quin Tuæ Veracitatis
Intereſt, hæc ferre gratìs.
Nempe gratìs iſta fesſis
Polliceris TE *profesſis,*
Vndè manat grata mesſis!
Tu *quod indigens egeſtas*
Concupiſcit, ſpontè præſtas,
Largiens opes honeſtas.
Tu *Tuos foves benignè*
SPIRITûs Cæleſtis *igne,*
Luce veræ diſciplinæ.
Tu *preces audis fideles,*
Noſtra Tu *delicta deles,*
PATRE *ne coram reveles.*
Noſtra nunc Spes pendet à TE
De futurâ largitate,
Mortis in necesſitate,

Mor-

Mortis horâ nos iuvato,
Vt migremus auſpicatò;
Dæmones procul fugato.
Angelos Tuos *iubeto*
Eſſe præſtò more ſueto,
Dent ſtui letho quieto.
Mox ad arva nos Polorum
Transferant, ubi ſonorum
Carmen auditur Piorum.
Sic TIBI *cedet perennis*
Hymnus, in Tuis Supernis
Manſionibus Paternis. Amen!

ODE LXXI. Pro Divino CHRISTI auxilio.

„ *Tela graVent Sortis, feriant me ſpicula Mortis:*
„ *Attamen ire lubet, quò* DEUS Ipſe *jubet.*

A*D montium cacumina*
Converto ſæpè lumina,
Si quod iuvamen fulgeat
Vt triſte pectus mulceat.

Meum iuvamen à DEO,
In Quo *perennè gaudeo;*
Hoc *fretus omni tempore*
Puto beatum me fore.
Tu CHRISTE *Tutor &* DEUS
Tu *Liberator* Es *meus:*
Hoc *perpetim* Nomen *tenes,*
Omnis Salus eſt TE *penès.*
O Cæles *Orbis* ARBITER,
Me ſordidatum turpiter
Hereditariâ lue
Rivo cruoris *ablue!*
Ab incitante Dæmone
Defende me PATER Bone,
Meamque lapſam nequiter
Mentem regas benigniter.
Lætâ, fac ô, metâ fruar,
Et mente gratâ contuar
Quot me bonis mactum facis,
Dum fulcra gaudii iacis.

Sol

Solvendo quò ſim debito
JESU *iuvans iuva citò:*
Solutionis cùm viam
Excogitare neſciam.
Solvantur ò repagula
Sermonis, ut miracula
Crebrò canam Dextræ Tuæ
Fortis, Potentis, Ardua.
Me, CHRISTE, *frigidum move*
Vitaquè præpara novæ:
Pulſo veterno fas piis
Sit ire commodè viis.
Mundi ſolutum carcere
Ad TE, *precor, fac pergere,*
Ac limites tranſcendere
Quos vult Satan prætendere.
Ut Angelis iunctus Tuis
Fidelibusquè mutuis
Hymnos TIBI *iuges feram,*
De TE *Bonoquè diſſeram,* Amen.

ODE LXXII De Piorum Privilegiis, & Miniſtrorum Eccleſiæ pervigiliis.

„ *Fide, videq́; ſimul: nam fidere nilq́; videre*
„ *Cui fidas; Fidei non opus, aſt onus eſt.*

P*Vlchris Elogiis Aſtra beant Pios,*
Quòd dent Eloquiis ſe PATRIS *obvios,*
Intenti Patrio ſollicitè Bono
Congeſtum quod habent in Supero Throno.
Hinc fit, dum trepidant, dumq́; timent neces,
Concordesq́; manent ac recitant preces,
Illos Ætherei Gratia FLAMINIS
Armat, ne rigidis ſubiaceant minis.

Ho-

Horum qui capiti triſte malum ſuit,
In foſſam propriam, quam ſtruit,
his, ruit: *(nec opum valor,*
Nec quidquam iuvat hunc fraus,
Nec Patrocinii multiplicis calor.
Summo *fide* DEO,*qui ſapis! invias*
Vt felix ſuperes absq; metu vias,
Cæleſtesquè choros ſuaviter am-
bias, *(dias.*
Ac dignus Superis ſedibus au-
Nam qui ſalvificam *corde gerunt*
Fidem *(dem,*
Infeſtant Stygium fortiter Aſpi-
Conſtanterq; premunt & cruciant
eum, (DEUM.
Dum lætis celebrant carminibus
Concedas (petimus!) Cæles *ô* AR-
BITER, (ros *iter,*
Qui monſtrant populis ad Supe-
Vt tractent Fidei dogmata *iu-*
giter

Ac

Ac vitam caveant ducere tur-
piter! (de,
Sint fortes animo, ſint ſtabiles Fi-
Et Sectæ fugiant iurgia perfidæ;
Vniti maneant, atque velint
idem, (Fidem.
Unam *cùm teneant & doceant*
Orbis vaſta Domus vota DEO *ferat,*
Et quâ ſe Pelagus fluctibus ag-
gerat, (*Limina,*
Cum Gnatis veniant, ad Sacra
Regnorum, celeri tramite, Lumi-
na! Amen.

ODE LXXIII. Chriſtiani Hominis, præſentiâ CHRISTI ſe erigentis.

„Gratia CHRISTI, *neſcia ſiſti*
„*Vt Tibi praſtò ſit, Pius eſto.*

EST JESUS *hîc, quid mæreo?*
Hujus *fibris inhæreo:*

Non

Non deſeret me ſervulum,
Malis ſed obdet peſſulum.
Beatus ille-Vir cluit
Quem labe CHRISTUS *exuit,*
Et à periclis eruit
Fibrasquè cordis eluit.
Vt tempus arte temperes
CHRISTO *ſub hoc obtemperes,*
Et fac quod ILLE *præcipit*
Nullumquè prorsùs excipit.
Nam quisquis hîc per aſpera
Ad aſtra tendit proſpera
Ductore CHRISTO, *non ruet*
Bonis ſed amplis affluet.
Ejus *beata funera*
Sunt PATRIS ALMI *munera,*
Quæ contulit nobis ſuis
Servis puſillis, cernuis.
Hoc Mundus immundus ſciat,
Quòd Morte JESUS *nos piat:*

Huîc *ergò quisque ſerviat,*
Nec ampliùs ſuperbiat!
Quicunque JESUM *diligit,*
Vias Is *eius dirigit,*
Dextram Suamquè porrigit,
Et ceſpitantem corrigit.
Illuminator cordium
Eſt JESUS, *eſt exordium*
Noſtræ Salutis, *ſordium*
Expunctor & ſocordium.
Quicquid loquor, quicquid gero
JESUM *meum deſidero,*
Nec deſinam, donec ſequar
Eumq; *plenè conſequar.* Amen!

„ *Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora:*
„ *Sic erit hora brevis, ſic labor ipſe levis.*

ODE LXXIV. Ad SPIRITUM Sanctum Paracletum, ſub Lectionem vel Concionem Sacram.

„*Prin-*

„ *Principium Verum* DEUS *eſt & clauſula rerum,*
„ *Quo ſine ſi quid erit cæptum, claudetur ineptum.*

Hûc miſſe SANCTE SPIRITUS
TE *defer ad nos Cælitùs,*
Reple Tuâ Concordiâ
Fidelium præcordia.
In his caloris *igneam*
Et vim favoris *Entheam*
Accende, SANCTE SPIRITUS,
Labemquè dele funditùs.
Qui *mille Gentes* unicâ
Fide *ligâſti Cælicâ,*
Dignare nos inviſere;
Hûc TE PARENS *hûc inſere!*

ODE LXXV. Ad Eundem DOCTOREM & DUCTOREM Cæleſtem.

„ PNEVMA, *Salutifera Veniens de ſedibus Aula,*
„ *Adſpirat Sacra Cæleſtia munera Caula.*

VEni Superne SPIRITUS,
Tuæquè Lucis cælitùs
Emitte Fulgur ſplendidum,
Cor tange noſtrum ſordidum.
Veni Patrone pauperum,
Dives veni fons munerum,
Fulgens veni fax noctium,
Veni medela Mentium.
Tu triſtibus das dulcia
Mortalibus ſolatia,
Es gratus Hoſpes cordibus
Æſtu gravi labantibus.
Tu das quietis proſpera
Feſſis labore munera,
Fletu ſerenas turbidos,
Salute donas morbidos.
O Sancta Lux reple piâ
Mentes Tuorum Gratiâ,
Noſtras fibras & ſingulos
Inviſe cordis angulos.

Nam

Nam quid valemus, Cælite,
Si TE *caremus* Hoſpite?
Quid absq; TE, PATER, *ſumus?*
Ah, eſſe bruta malumus!
Lavato quod ſit ſordidum,
Rigato quod ſit aridum;
Sanato quod ſit debile,
Firmato quod ſit mobile.
Inflecte quod ſit horridum,
Succende quod ſit frigidum;
Duc in viam quod triſtibus
A TE *receſſit paſſibus.*
O da Tuis fidelibus
In TE, DEUS, *ſperantibus*
Divina ſeptem munera,
Quin immò da tot altera!
Da nos calere ſuavibus
Intùs Tuis Virtutibus,
Confer Salutis *exitum,*
Poſt iunge Turba Cælitum! Am.

ODE LXXVI. Ad Eundem Supremum Conſolatorem.

„SPIRITUS Omnipotens, quo *cuncta movente moventur,*
„*Adſiſtat cunctis; ut per* Sacra Verba *noventur!*

☞ O Sancte SPIRITUS, *veni! Solatium*
Te fervidè poſcentibus:
Reple Tuorum pectus, ô fidelium,
Bonis bonorum fontibus!
✱ *Amoris accendas in illis flammulas*
In unitatem Luminis:
Qui diſſipatas per loquendi formulas
Gentes recolligi ſinis.
☉ *Honor* Tibi, *laus & perennis gloria*
Sit, ô benigne SPIRITUS.

In-

In omnibus qui Solus *imples omnia,*
Impleto nos communitùs! A.

ODE LXXVII. Ad DEUM Opt. Max. Lectione finitâ.

„Sit rogo, præ reliquis, iſthæc tibi Lectio curæ,
„Vt Vita ſtudeas traducere tempora purè,
„Ac Patriæ maneas hæres compoſuè futuræ.

B*Enedictus ſit, benedictus*
DOMINUS DEUS *&* PATER;
ictus
Qui *Dæmonis usque refringit,*
Ope qui *nos divite cingit.*
Sacroſancta Volumina Vatum,
Evangeliumquè *renatum,*
Artesquè Librosquè venuſtós
Tegit, ampliat, hîc-ibi CUSTOS.
Vt in hac etiam ſumus horâ,
Meditati Penſa *decora,*
Summequè ſalubria Vitæ,

DUCE CHRISTO, *ducta pe-*
ritè!
Faxit DEUS *Optimus* ILLE,
Labor ut hic commoda mille
Nobisquè ſtudentibus edat,
Cunctisquè Bonis benè cedat.
JESU LIBER *Optime* VITÆ,
Agitur nil, TE *ſine, ritè:*
Studiis ſic ſemper adeſto,
Oculis LIBER *obvius eſto.*
Meditata iuvamine dulci
Audita què lectaquè fulci:
Labor altâ mente reponat,
Quicquid proba pagina donat.
Rectum rege: corrige ſphalma
Ope, *noſtri pectoris*, almâ,
Iſthoc titubantis in ævo
Mala ſæpè prehendere lævo.
Tandem TUA *Luce referta*
ACADEMIA, *fac, ſit aperta,*
No-

Nobis, DEUS ALME; *iuvamen*
Scimus dabis hoc celer. Amen!

ODE LXXVIII. Ευχαριστικὴ, ad S.S. Trinitatem.

„ Qui *nos dirigit hic*, qui *diligit, ornat, honorat,*
„ Is Bonus *in nobis ſua munera mira coronat,*
„ *Cælitis & Vitæ tutiſſima gaudia donat.*

Honor ſit atque Gloria
DEO PATRI *nos obviâ*
Semper foventi Gratiâ
Et pravià Clementiâ.
Honor ſit Ejus FILIO
Amore qui *ductus pio*
Nos Mortis inſontis Lytro
Nigro Stygis demit nitro.
Honor SACRO *ſit* FLAMINI
Pios beanti Numini,
Quòd nos ſerenat inclytè
Verbi *lucernâ cælitè.*

Opra.

O prædicanda TRINITAS!
O plena Lucis UNITAS
Audi preces clientium,
Et da Poli commercium! AMEN.

ODE LXXIX. A Lectione ſive Concione S. redeuntium.

„ *Sunt* CHRISTO *grati, ſunt terq; quaterq; beati,*
„ *Quos vigiles oriens Sol videt & moriens.*

G*Ratias* TIBI *ſacramus*
RECTOR Alme *rerum,*
Hymnumque debitum damus,
Ceu lucrum dierum:
Hoc die quòd diſciplinam
Ritè proſperáſti,
Et creditam nobis minam
Ipſe *fœneráſti.*
Ad Tuum decus *vigere*
Fac opus ſuſceptum,
Et nos libenter diſcere

Quic-

Quicquid eſt honeſtum:
Vt ſtudentes diſciplinæ
Tempus æſtimemus,
Tuæ*què* laudis *nomine*
Semper exultemus.
Voce blandâ concinamus
Corde TE *portantes,*
Et quas Tibi *grates damus*
Iugiter ſonantes.
Laus DEO *noſtro per omnes*
Orbis huius oras; *(nes,*
HUNC *noſtra mens nunc perſo-*
Poſt per omnes horas. Am.

ODE LXXX. Adhortatoria ad ſtudium Pietatis, Fidei, & Precum.

„ *Vt ſit perſpectus tuus à* Pietate *profectus*
„ *Mens ſtudioſa Vide, non dubitante* Fide.

Quæ-

Vâvis quietus horâ
DEUM *colens adora:*
Nam puppis atque prora
SALUTIS *eſt honora.*
Is *vota promptus audit*
Surdâ nec aure plaudit;
Hæc cordis arce nata
Pellunt acerba fata.
Quæ dixerat fideli
Pacto, MONARCHA Cæli,
Sunt undiquaque vera,
Licèt malis ſevera.
Promiſſa, JOVA, *præſtat,*
In Mente *nosquè geſtat;*
Periculis levatos
CHRISTO*què colligatos.*
SALUTIS *æviterna*
Manat Bonum *ſupernè:*
Húc ergo Mens anhela
Converte panſa vela.

Ver-

Verbi DEI *ſcatebra*
Quietis eſt latebra:
Illam proindè quæras
Poſt tot vices ſeveras.
Quicunque corde mundo
Sunt, ad Polos eundo,
Illos JEHOVA *curat*
Horum PATER*què durat.*
O centies beati
Qui ſunt ubique grati
DEI Paternitati
Per Hanc *malis levati!*
Ex hoſtium lacertis
Modis JEHOVA *certis*
Scit liberare iuſtos,
Multis malis onuſtos.
Qui ſunt obedientes,
Horum JEHOVA *mentes*
Gratis bonis coronat,
Cæliquè ſede donat.

Huîc *ergò Cantilenas*
Sonemus arte plenas!
Has vult habere Strenas
Ab omnibus ſerenas
O quàm Cor eſt beatum
Quod ſit DEO *ſacratum!*
Is *nempè donat* UNUS
Vitæ quibusque munus.
Omnem dat ILLE *victum*
Dat ſingulis amictum:
Hujus Cruore *terſi*
Mundamur univerſi.
Ob hæc proindè dona
Suſcepta mente pronâ,
Grates EI *ſonemus,*
Quàm maximè valemus! Am.

ODE LXXXI. Ex Pſalmo 23.

„ *Nil horum debes, mihi quæ,* DEUS Optime, *præbes!*

Fru-

Fruſtrà, Livor edax, *fremis!*
Dum me triſtitiæ dente petens, pre-
mis.
Paſtor *me* DOMINUS *ſuis*
Paſcit, iamq́; Bonis affluo paſcuis.
Pandens pabula gramine
Torrentis recreat pectora margine,
Sumo pocula fontibus,
Suetis molle latus pando receſſibus.
Leni rivulus agmine
In cordis reparat robora tegmine.
Dum fervens face Sol calet,
Nec quo ſe recreet cernere mens
valet;
Blandus me reficit vigor
Auræ, quo rabidus deſtruitur rigor.
Si quando vagus aviis
Pes labi facilis ſubſtiterat Viis,
Paſtor *per ſua* Numina
Traxit iuſtitiæ ſub nova lumina.
Nec,

Nec, ſi Mors fera dexterâ
Figat per tenebras aſpera Vulnera,
Ceſſem Te Duce *pergere,*
Cùm nemo valeat me ſcrobe mergere.
Vires Tu *mihi corporis*
Fulcis, appoſito tegmine roboris.
Tu *menſis epulas meis*
Tu *Vinum pateris ſufficis aureis.*
Vnguento caput irrigas,
Et crines variis floribus illigas.
Hæc *porrò* Bonitas *Polo*
Stantem reſpiciat firmiter in Solo!
Vt per ſæcla Mathuſalem
Ædem *conſpiciam, Sacra canens,*
SALEM! Amen.

ODE LXXXII. Προφυλακτικὴ, ex Levit. 26. Deut. 28.

O Sa-

„*O Sacer, ô pius, ô ter & ampliùs ille beatus,*
„*Cui ſua pars* DEUS; *ô miſer, ô reus, hâc vi-*
duatus!

H*Auri tuis hæc auribus*
Gens uſa pravis moribus,
Quæ Moſis ore, *tàm piis*
Quàm, JOVA dicit, *impiis:*
Si JUSSA *ſervâris* MEA,
Sors affluenter aurea
Te parte quâvis dulcibus
Solabitur ſucceſſibus.
Habebis undè Civibus
Des mutuum petentibus;
A Cive ſed dari tuo
Nil ipſe quæres mutuò.
Quocunque tendes, te Meâ
Cingam Catervâ flammeâ,
Ruri domiquè te regam
Tuas opesquè protegam.

Fe-

Fœtus tuus lætabitur,
Proles domi beabitur;
Felix eris nec hoſtica
Foris timebis claſſica.
Hoſti tuo cor auferam
Ipſumquè fruſtim conteram:
Unâ petet te ſemitâ,
Denâ redibit orbitâ.
Sin ſpreveris Legem Meam,
Virgam videbis ferream,
Telis petitus plurimis
Preſſus periclis ultimis,
Ruri domiquè perditus
Te ſubſequetur exitus,
Domo recedes anxius
Domum redibis ſaucius.
Ædes tuas moleſtiæ
Frugesquè carpent beſtiæ,
Ventris tui fructus ruet
Totum Pecusquè diffluet.

Bel-

Bello premêris indies
Cadesquè victus millies,
In te graves volantibus
Addam furores Hoſtibus.
Tibi dabo ſed languidum,
Ad arma pectus frigidum;
Vnâ viâ bellum petes,
Septem domum ſed appetes.
Gentem videbis impiam,
Fletu moveri neſciam:
Quæ nec Seni, nec parvulo
Parcet, furens, infantulo.
Quin & tuas in patria
Secum trahet res Atria,
Prolemquè maſtam turpibus
Coget ſubeſſe legibus.
Mox inter arma perfida
Patrem Fames te lurida
Natos tuos in viſcere
Coget voratos condere.

Mater videns hoc, triſtibus
Implebit auras vocibus,
Et invidens, te proprios
Flebit voráſſe Filios.
Poſt Bella Peſtis irruet
Morbis malis te deſtruet,
Soloquè vertet funditùs,
Donec cadas radicitùs.
Hæc dura tot diſcrimina
In te cadent ob crimina,
Legem Meam *quòd ſpreveras,*
Tibi recentem finxeras.
Sic inquit, Ille Maximus
JEHOVA Fortis, Optimus;
Pòſt id Iudæa perditus
Gentis probavit exitus.
Quid, quæſo, *Gens hæc non tulit?*
Hanc JOVA *paſsìm diſpulit*
Cunctis malis exercitam,
Errore mentis percitam,

Quòd

Quòd ſi DEVS *non Filiis*
Pœnas remiſit propriis;
Nunquid remittet ſontibus
CHRISTVM *ſecutis Cœtibus?*
Nam Chriſtiana Sanctitas,
Vt CHRISTVS IPSA VERI-
Inquit, Iudæis omnibus (TAS
Præſtare debet ritibus.
Nos ſed vocamur nomine
CHRISTI *Cohors: at crimine*
Quosvis profanos vincimus,
In peius ultrà tendimus.
Porrò ſed hæc ob nomina,
Adverſa remur agmina
Nos poſſe terrâ pellere;
At non iuvat ſic vincere!
O cæca Mens exurgito,
Ad Aſtra Vultum tollito,
Mutato mores devios,
Metus fugabis impios.

Hoſtem necabis perditum,
Te proteget REX Cælitum;
Et amovebit ſingula
Mortis furentis ſpicula.
O CHRISTE *ſis imbellibus*
Præſens Tuis fidelibus!
Malum iuva nos vincere,
Cunctis dolis reſiſtere.
Noſtro nec hoc da nomini,
Sancto Tuo *ſed* Numini;
Vt prædiceris ſingulis
Pater Benignus *ſæculis.*
Confer quietem! Nam ſuâ
Qui nos tegat vi ſtrenuâ
Eſt nemo, præter TE DEVS:
Qui Murus audis igneus, Amen.

ODE LXXXIII. contra Tyrannidem Turcicam.

„O DEUS,

„ O DEUS, ô ſpurcis noli permittere Turcis,
„ Ut nos in furcis crucient, Scythicis vel amurcis!

AN prorsùs, Alme iam PATER, nos reiicis?
Nec ampliùs nos reſpicis?
En, ut Mahometes Tuam crudelibus
Prolem fatigat artibus!
En ut, furore plenus, enſe fulminat!
En ut Pios exterminat!
Hinc eſt videre, quàm iacent per impia
Strati Fideles avia.
Hi ſemivivi Vulturum ferocibus
Contaminantur unguibus.
Hi non humantur: Beſtiarum ſed fera
Habent ſepulchrum viſcera.
Hinc ergò rivi ſanguinum, ceû imbribus,

Aucti fluunt recentibus,
Sparguntq; Terræ pulverem, ſpargunt vias,
Spargunt Equorum tibias.
At durior Captos manet (proh!) exitus,
Ac morte peior Servitus!
Nam quicquid Iſte *mandat* Hoſtis *impius*
Neceſſe præſtent ocyùs:
Neceſſe iactent in ſuos immitia
Fratres pios convitia:
Neceſſe ſtent in impiis armis, ſuos
Contrà ſodales mutuos.
Neceſſe, votis non ſuis, contrà Suos
Cælos fatigent arduos;
Neceſſe Fratribus precentur peſſima;
Ah vota ſordidiſſima!
Non Babylon, nec Memphis iſta fecerat *Cùm*

Cùm iura Captis dixerat.
Eſt hic Tyrannus *omnibus cru-*
delior,
Hydris, Lupisquè ſævior.
Nam noſtra tecta diruit, vel tri-
ſtibus
Vltrò perurit ignibus,
Secumquè Prædo barbaros ad li-
mites
Opes reportat divites.
Latus ſenile lanceis examinat,
Toros Pios contaminat.
Et quis pudicas narret, (eheu!)
Virgines
Quot perferant libidines?
Plenæq; Matres prole non ſunt li-
beræ!
Forantur imo viſcere:
Scrutatur enſis conditam Matrum
viam

Maſſamquè ſubmovet piam.
Vix ſæpè Proles triſtis artus induit,
Cùm mox ei mors ingruit,
Illiſa fitquè Caucaſi crudelibus
Frontem genasquè rupibus;
Seù fracta paſſim fraxinos ad arduas,
Ah execrandas belluas!
Quod nulla Tygris, nulla, quamvis aſpera
Feciſſet unquam Vipera.
Laſſusquè patrati furoris crimine
Potusquè Sacro Sanguine
Nondum quieſcit, Templa ſed Sanctiſſima
Replet Cohorte peſſimâ:
Quo nuper in loco Tuorum Cælica
Percrebuêre Cantica,
Hîc ſordidi nunc, (proh!) Equi ferociunt

Al-

Altisquè ronchis hinniunt,
Sacris ſtat in locis Abominatio!
O Viperarum Natio,
An nil moveris NUMINIS *Præſentiâ*
An nil loci Potentiâ?
En, ut videntur ipſa Templa triſtibus
Deflere caſum nutibus!
Sol ipſe deflet, Luna deflet, ſinguli
Deflent nefas hoc anguli.
Ah dira peſtis! ah lues! ah aſpera
Noſtris diebus Sidera!
Tu *proſpicis tamen* TuisPalatiis,
Nec flecteris convitiis?
O ſurge CHRISTE! *pelle Monſtra Barbara*
Sub nigra Ditis Tartara;
Nos ſed tuere; nec moras ob crimina

In noſtra necte tormina.
Plus poſſit Inclinatio, *plus hic,* Tua,
Quàm noſtra labes ardua;
Hanc nos fatemur, hâc nimis Te *læſimus,*
Hâc Te PARENS *offendimus!*
Fœdavimus noſtris malis Altaria,
Fœdavimus Sacraria;
Oracla Legum perditi contempſimus
Multoquè lapſu læſimus.
Et ſingulas labes quis eſt qui congerat?
Stellisnè Cœli conferat?
Ah! non tenent tot alta piſces æquora,
Tot non arenas littora:
Quot horridis contaminamur ſordibus,

Quot

Quot ſauciamur lapſibus!
Illi feruntur ad Tuas Sedes DEUS
Petuntquè quò ſis ferreus.
Audis, & iræ fræna laxas lubrica!
Ah! ſiſtat hanc Mors Unica,
Mors *atq;* Lytron FILII, DEUS,
Tui
Pro parte noſtrâ cernui.
Siſtat! Suiq́uè *deleat* Vi Sanguinis
Quicquid patramus criminis!
O parce Verſis, parce Natis CONDITOR
GNATI*què Votis flectitor!*
Hujus *movere vocibus, nec ebria*
Fer. Hoſtium ludibria.
En, ut ſuperba Stelliones fulmina
In SANCTA *mittunt* NUMINA.
Rotantq́; devotum malis Caput Diis
Nobisquè iactant obviis:
En, veſter Ille CHRISTUS! Ejus Numina

Vt veſtra ſervant Agmina!
Si vi Paternâ *Cælicas Domos fovet,*
Quin clade Vos hâc emovet?
Si veſtra gratis Vota captat au-ribus,
Quin his revellit fluctibus?
Revellat ergò, Turcicisquè fortibus
Det obicem conatibus!
Mahometes (en!) Nos iuvat feli-citer,
Vos ſed fugat velociter,
Lethoquè veſtras res dabit, ſternet Solo,
Nos inferet ſecum Polo!
Hæc Tu*potes,* JEHOVA, *ferre cri-mina?*
Ah mitte, mitte fulmina!
Effunde vires, crebra vibra ful-gura,
Ignita cribra ſulphura,

Ex-

Extende fundam, ſparge ſaxa, ſentiant
In Quem *truces ferociant!*
Exſurge! Beſtiasquè perde perditas
Cunctis malis perterritas.
Quin funditùs tàm turpe dele dedecus,
Ne rideat Tuum Decus!
In Te Salutis, JOVA, *nos Spem ponimus,*
In Te, PATER, *confidimus.*
In Te ſuprema reſtat expectatio,
In Te, DEUS, *protectio!*
Tu *noſtra Turris*, Tu *Salus*, Tu *Lux*, DEUS,
Tu *Palma, Murus aneus.*
Nos Patrimonii Tui *Gens libera*
Cui tot dediſti Fœdera;
Cui vincla plantis exuiſti tetrica
Flammâquè ſparſti Cœlicâ;

Cui

Cuî ſubdidiſti Solis aſſiſtentiam
Et Hoſtium potentiam;
Cuî mittis Angelos Salutis *Indices,*
Fortes Piorum Vindices.
Ah mitte, da Tuoquè *laudem*
NUMINI
Da Chriſtiano-Nomini!
Da! ſauciosquè, ſicut antè, libera
Ex Gente Moſen aſperâ,
Et perditum Nili-Ducem cum Milite
Vt antè, merge gurgite!
Trux Iericho, TE *flante, ſponte corruat,*
Suosquè Cives obruat!
Te REGE, *Reges mobiles imbellium*
Capti ferant ſuſpendium!
Dux Holophernes, Te *Tuorum* Principe,

Ca-

Cadat ſub Enſe, præcipe!
Et quid loquamur Siſaram? det Fœminæ
Pœnas graves cum Sanguine,
Clavo trabali fixus ægra tempora,
Infeſtet Orci littora!
Et quid tulit Gens pertinax Amorrhea,
Quam grando presſit ſaxea?
Globi cadebant impios in complices;
DEI Manus *en Vindices!*
Sic liber ex ſuis malis Ezechias
Senſit Tuas Cuſtodias:
Tu *perculiſti Militum ferociam*
Per Angeli Potentiam.
Et ne quidem nunc Tela nudas ſpiculis,
Cunctis Es Idem *Sæculis.*
Nil Copias, Duces nihil, nil Nomina,
Nihil moraris Agmina.

Tuos

Tuos fideles absque ferro liberas,
Hoſtes ut ollam verberas:
Iactent vel Illi mille Propugnacula,
Vel toxicata ſpicula.
Nos TE *ſuperbi,* TE *potentes, hoſtica*
Timebimus nil Claſſica.
TU *robur addes,* TU *Manum fortiſſimam*
Stringes in Hydram peſſimam.
Hanc nos velut Veſpas procul fugabimus,
Et ceu lutum calcabimus.
Si qui tamen remanſerint ſuperſtites
De clade tantâ milites,
Septem redibunt pallidi divortiis
Cadentquè telis obviis.
Nec TE *Tuosq́; poſt laceſſent perditi,*
Unâ ruinâ territi,

Tam

Tum More Patrio DEUM *Te ſua-
vibus*
Sonabimus concentibus.
Poſtremus Orbis ſentiet Victoriam
Tuam*què dicet* Gloriam,
O JOVA *ſumme*, JOVA ter *San-
ctiſſime*,
Ter JOVA *clementiſſime!* A.

Votum Chriſtianum.
„ *Da* IÉSU *Pacem, Turcamquè repelle ra-
paçem!*

ODE LXXXIV. Contra Hoſtes Eccleſiæ.

„ *Quos Vexat Babylon, illis ſit* CHRISTUS
aſylon,
„ *Inq; locis tutis locas in* portuquè Salutis.

AH, *quot Centuriæ carnificum
ruunt,* (*unt,*
*Quot fraudes rabido pectore conſu-
Vt nos Antitheo ſubiiciant truci*

Ac

At reddant Latiæ Cruci!
Quis turmas Equitum, quis pedi-
ditum ſtruem
Quis novit Genii Tartarei luem?
Totis ſe Phlegeton viribus exſuit,
Totum virus & exſpuit.
Nî, JESU, *venies auxilio Tuis,*
Nî nos conſiliis fortibus induis,
Hoſtili ſubitò præda voragini
Ducemur data turbini.
At ne fors ita ſit, CHRISTE *veni,*
veni!
Et nobis Patrio NUMINE *ſubveni.*
Hinc laus ſumma Tuis *cedet hono-*
ribus,
Hinc gratum melos auribus.

ODE LXXXV. Adversùs hoſtium claſſes & caſſes ferocientes.

„Quum

„ *Quum contra* CHRISTUM *multi ſine fine tumeſcant,*
„ *Nil mirum pœnas ſi ſtulti deindè timeſcant.*

S*Empernè pravi prava fovebitis,*
Fidelibusquè bella movebitis?
Quin iam videte quid ſequatur,
Dira malis DEUS *imprecatur!*
Quæ ſancit ILLE *vel facit, AEquitas*
Sunt ipſa, Cælo lapſaquè Veritas:
Quæcunque mandat, lenitate
Temperat, atque ſeveritate.
DEUM *vereri fons Sapientiæ,*
Primumq́ vitæ principium piæ:
Qui ſic ſapit, felix manebit,
Nec ſub aquis Stygiis madebit.
NUMEN JEHOVÆ *quisquis honoribus*
NOMEN*què puri thuris odoribus*
Extollit, is ſi ſit volatus

Ad

Ad tumulum, ſolet eſſe tutus.
Sed cuius icit lumina cæcitas,
Nequit videre quid ſiet Æquitas:
Nec mente pendit belluinâ
Quæ tumidos maneat ruina.
Partam Salutem CHRISTUS *amantibus*
Diaquè Legis iuſſa timentibus
Adeſt BONUS: *memor* peracti
Cum Patribus, ſine fraude, pacti.
Cœtus Piorum cùm premitur Cruce,
Non à BENIGNO *deſeritur* DUCE:
Sed floret, atque gratiorem
Spirat ab his tribulis odorem:
Nam tunc ut aurum vera Fides *micat,*
Erroris umbras dum magis indicat,
Vexilla CHRISTI *pulchriore*
Semper ut indè micent honore.
Pullos puſillos Ales uti tegit,

Sic

Sic. Ejus Ala *nos placidè regit;*
Scuto ſub hoc curis ſoluti
Perficimus data penſa *tuti.*
Huîc *ergò grates dicite liberè*
Quicunq; vultis fauſta ſub Arbore
Videre feſta, poſtquè fata
Regna Poli retinere grata! Am.

ODE LXXXVI. De Hoſtium Eccleſiæ juſto interitu, & ſingulari DEI in ſervandis fidelibus ritu.

„ *Vltor adeſt ultrò* DEUS, *impia cordaquè cultro (frangit.*
„ *Vindicta tangit, blaſphemaquè funere*
Quæ ſint facta DEI Manûs
Annon per populos Fama refert anus?
Nemo quippè vocat DEUM,
Vt non eripiat de cruce mox eum.
Hoſtes ſapè DEI *citis*

Sub-

Submerguntur aquis moleque gurgitis.
Sutores quoque criminis
Tellus ſorbet hians terrificis minis.
Plures flamma vorax cremat
Trux Eccleſiolæ ne quis opes premat.
Turmis Iſacidum piis
Qui *miris dederas effugium viis:*
IDEM *nos* BONE DUX *ſove,*
A cunctisq́; malis ad bona promove!
Ceu cum Fratre Moſes ſuo
Ductores populo præfuerant Tuo:
Sic & nunc tribuas pios
Doctores, reprimens ſtirpitùs avios.
O PRINCEPS *populi Tui,*
O FILI Superi PATRIS *& ardui!*

ODE LXXXVII. De Chriſtianæ Eccleſiæ Cultore & Vltore potentiſſimo.

„*Non modò promittit, ſimul at ſolatia mittit*
„IOVA *ſuis Gratis: utinam ſine crimine gratis!*

Cùm proximus nos Hoſtis urget & ferit,
Fraudesquè mille congerit,
Avara reddens pro favore præmia
Nec-non amara prælia:
Nunquid tacendum vel iacendum ſub Cruce,
Nec præliandum Spe duce?
Num fortitudo noſtra ſub ſilentio
(Cuius frequens ſit mentio)
Debet vigere? Sic JEHOVA *præcipit*
Et ultionem præripit.
Hoc ergò ſtandum vel cadendum Præſide,
Induſtrio, non deſide.
Non Ille *fidos nos Clientes deſeret,*
Opem ſed aptam deferet,
Hoſtesq́ perdet proditos à Crimine
Nos:

Nos liberans diſcrimine:
Vt liberati concinamus dulciter,
Et nunc & olim iugiter. Amen!

ODE LXXXVIII Pro Pace tàm ſpirituali quàm corporali.

„ *O Veniat tandem* PAX *optima,* PAX *& opima,*
„ *Tam divis donis divitibusquè bonis!*
„ *Eſt ubi* PAX*, bene fit Legi, Regiquè, Gregiquè,*
„ *Hac ſine Religio fricta fit & Regio.*

☞ PRæpotens *rerum* SATOR
Et ſtupende factis,
Dives *omnium* DATOR
Stare ſuete pactis:
Sæpè qui *Gentes ſinis*
Fluctuare mirè,
Martis ut trucis minis
Se putent perire.
✱ Qui *nefas*, qui *vim feram*
Sæviendo punis,

Dis-

Disquè-iuncta perperàm
Corda rurſus unis;
Qui *fugatam mitibus*
Reddis Æquitatem,
Atque pulſis Nubibus
Das ſerenitatem.
☉ *O* JEHOVA Maxime,
Corda Nationis,
TE *colentis proximè*
Cum Chore Sionis,
Ne ſinas ob crimina
Pollui cruore,
Vel ſubire tormina
In ſuo furore.
☞ *Flecte* Cæſaris *pias*
Principum*què Mentes,*
Vt catervas obvias
Liberent gementes;
Conſulantquè Patriis
Cœtibus gravatis.

Et canant in Atriis
Pace *ſublevatis.*
* Velle *fac velint* Tuum:
Te DUCEM *ſequentes*
Veritati *Ius ſuum*
Offerant frequentes:
Non gravent, nec obruant
Subditos premendo,
Non ad arma proruant
Vim gravem ferendo.
☉ *Damna dantes puniant*
Ius ament foventes,
Dona Pacis *ambiant*
Ordinem tuentes:
Laude, cultu, præmiis
Recta proſequantur,
Clade, mulctâ, præliis
Curva perſequantur.
☞ *O* PATER Clementiæ
Cælicumquè Lumen,

Maximæ Potentiæ
Conſiliquè Numen,
Cæſarem *noſtrum rege*
Flecte Principatus;
Et ſub his Tuos *tege*
Ac fove rogatus.
✱ *Da graves iuſſi ferant*
Gnaviter Labores:
Vndè præmium gerant
Debitos Honores.
Diligant Concordiam
Atque Charitatem;
Sic terant laudis viam
Per Benignitatem!
☉ *Hoc agentes libera*
De lacu malorum,
Tuta *ſintquè* fœdera
Da Gregi Tuorum:
Sponſa CHRISTI *cum ſibi*
Sit quieta iunctis,

Et ferat Laudes Tibi,
Mille, grata, punctis.
☞ *Liberâ* Verbum Tuum
Voce prædicetur:
Huic Piorum Cœtuum
Turba mancipetur;
Hoc ſequantur, hoc pio
Protegant favore,
Hûc ferantur Patrio
Per tot aſpra, more.
* *Omnis ut plebs* His Tuis
Excitata Donis,
Grata vocibus ſuis,
Cum piis Patronis,
Nomen *occinat* Tuum;
Cæſar Ipſe *gratus,*
Hic Bonum cernens ſuum
Gaudeat beatus.
O JOVA *vota mitia*
Queis Tibi *litamus,*

Pro

Pro Tuâ Clementiâ
Audias, rogamus;
Propter ô Nomen Tuum,
FILII*què Mortem,*
Ne Tuorum Cœtuum
Deſeras Cohortem! Amen.

ODE LXXXIX. Pro Pace.

„ *Omnia quòd fluctûs ſint plena, quòd omnia luctûs,*
„ *Eſt belli fructus, Cacodæmonis ubere ſuctus.*

DOna *da* Pacis *ſerenæ*
O PATER *favore plene:*
Duret in noſtris diebus
Cum ſecundis illa *rebus.*
Abſit, abſit ira, bellum,
Et patrans cædes duellum,
Trux, ferox immanitate
Ad Stygem faceſſat Ate!
Namque nuſpiam locorum

Vllus eſt DEUS *Deorum*
Qui *tegat nos imbecillos*
Et furores pellat illos,
Præter Unum TE Patronum,
Maximum, *iuvare pronum!*
Cunctа Vi potes Supernâ,
Laude dignus æviternâ. Amen.

ODE XC. Ejusdem valoris.

„ *Ne magis in Ventum pleno ruat agmine lentum*
„ *InVentum* Pacis, *jamne* IEHOVA *facis?*

O Pacis AUTOR *Optime*,
Vindex *Tuorum* Maxime,
Ne nos gravent, fac, *bellica*
Noſtris diebus claſsica.
Nam nullus eſt qui *nos regat*
Et à Tyrannis protegat,
TE *præter, ô Potens* DEUS,
Qui *noſter* Es Dux *Entheus!* A.

ODE

ODE XCI. Fidelium, finem malorum expetentium & expectantium.

„ *Irarum cohibe flatus; dimitte reatus;*
„ *Parcere ſicut & tu parce* IEHOVA *Tuis!*

QVum tota Mundi machina
Paſſim ruat per crimina,
Nil reſtat ampliùs piis
Quàm Calicis niti viis.
Hûc ergò, JESU, *iam veni,*
Clemens Tuisquè ſubveni,
Ac NUMINIS *vindex* Tui
Tandem canas receptui!
Orbis ruente veſpere
Vires potentes exſere,
Ad nosquè iam revertere;
Vt deſinamus ſtertere.
In carnis hâc caligine
Nos, quæſo, *cæcos ſuſtine,*
Hallucinari nec ſine

N 4 Sub

Sub TE *Salutis Lumine,*
Fac, ut Tui ſint Alites
Fidelibus Satellites,
Nos protegantquè ſedulò
In quolibet periculo! Amen.

ODE XCII. Hominis pæni-tentis, Pacemq; tàm internam quàm externam petentis.

„*Non modò ſuſpiro, ſed* TE *quoque* JOVA *requiro,*
„*Tu ſuſpiranti ſuccurras Votaquè danti!*

QVis *novit impotentis*
Errata tetra mentis,
TE *præter ò* Supreme
REX? *Hæc proindè deme!*
Tu, JOVA, *me probatum*
Mentisquè cogitatum
Tu *pectoris receſſum*
Noſti meumquè ſeſſum:
Tu *concubas cubanti*

Præ-

Præſens Es *ambulanti:*
Te *proindè corde toto*
Colam frequente voto.
Fidelium PATRONE,
Cunctos iuvare prone,
Me Mortis ex agone,
Cœlis Tuis repone!
Adjutor *Iſraëlis,*
Sacris tuere telis
Cauſam Chori fidelis,
Sub Carnis hisce velis,
Pacis *iubar ſerenæ*
Tranquillitate plenæ
Nos ditet ac ſerenet,
Hoſtisquè colla frenet.
Sic TE *ſonare gratæ*
Gentes in Orbe latè
Pergent, PATER beate;
Nam munus illud à TE! Amen.

ODE XCIII. Pro Eccleſiæ ſecuritate & reprimendâ Hoſtium ſeveritate.

„Non mons, non flumen remoratur, nec mare, NUMEN.

H*Inc-indè preſſi plurimis periculis*
Horis moriſquè ſingulis,
Ad TE *levamus, ô* JEHOVA, *cor pium,*
Vt des levamen obvium;
Quo provocati TE *ſonemus acriùs*
Illic & hic alacriùs.
Tu *liberáſti Gente de Pharôniâ*
Spe divites Sioniâ:
Et nos benignè liberare pergito,
Quin, JOVA, *libera citò.*
Non eſt homo, cui tuta res ſit credere
Ipſiquè ſe concredere:
Solus Salus Es JOVA *noſter, & celi*
Vis

Vis à Clientibus Poli:
TE *proindè Tellus, Pontus, AEther concinent,*
Et quicquid iſta continent.
Eccleſiæ Tu *ſalva præſtas mœnia*
Brabéa dans perennia!
In TE *recumbunt Spes Piorum perpetes,*
Ceù nòs docent Interpretes.
O ergò faxis (namq; Solus *idpotes)*
Simus Salutis compotes! Amen!

ODE XCIV. De imbellium in bellis diuturnis refugio.

„ *Qui Te* CHRISTE *vident, triſti quoque tempore rident.*

B*Ellis gravati ſauciiq;*, TE Fide
JESU *vocamus fervidè,*
Audi vocantes & vacantes nos Tibi
Renunciesquè nullibi!

Per quinque *plenos Sanguinis* ri-
vos *Tui*
Noſtro profuſos uſui,
Ignoſce JESU, *perpetrato crimini:*
Nec trade nos diſcrimini.
Fac audiamus obſequenter quæ Tuis
Verbo Tuo Dux *annuis!*
Accende Mentes frigidas Igni Tuo,
Vt diligant ſe mutuò,
Tibi*què grates concinant per hoc*
Solum,
Donec vocentur ad Polum. Am.

ODE XCV. Pro Eccleſiæ Naviculæ myſticæ, de tot fluctibus & luctibus eluctatione.

„*Sorte durâ quum ſecamur*,
„IOVA *præſtò ſis, precamur!*

D*Vm fera falx Mortis, dum nos premit alea Sortis*,

Dum

Dum ſine Sole dies, dum malè-tu-
ta quies: *(gratia Marti,*
Dum levis eſt Arti, dum plurima
Dum ſunt multa Choro, multa
moleſta Foro;
CHRISTE Parens *rerum*, LUMEN *de*
LUMINE verum,
Quam ſcis dura pati da bona fla-
bra Rati. *(precanti,*
Annue clamanti, non abnue, quæſo,
Halcyonis luces, da citò, pelle
cruces! *(dera threni*
O Nauclere *veni, penetrent Tua Si-*
Quos pia turba iacit, dum Tibi
vota facit.
Poſt mala tot Sortis, poſt plurima
(vulnera Mortis, *(Foro!*
Fas ſit adeſſe Choro fas ſit adeſſe
Fas ſit abeſſe malis; fas ſit ſub Nu-
minis *alis*

Vitæ felices poſſe videre vices!
Sic nos ſervati, ſic tutâ ſede locati,
TE, PATREM, FLAMEN, *laude vehemus.* Amen!

ODE XCVI. Pro Pace tàm Eccleſiaſticâ, quàm Politicâ.

„ *In dubiis rebus, redeat poſt nubila Phæbus,*
„ *Sub P ciſquè Viis det bona cuncta piis!*

A *Deſto* JOVA fortis
Memor Tuæ Cohortis,
TE *noſtra Mens adorat,*
Et continenter orat;
Des ut ſemel, rogatus,
Ac millies vocatus,
Pacem *bonis amatam,*
Vitamquè temperatam.
JESU *Propago Ieſſe*
Nobis amans adeſſe
Fibris vocate totis
Piis vacato votis!

En,

En, ut viciſſitudo
Et arcta mæſtitudo
Vbique nunc pateſcit,
Noſtro maloquè creſcit!
Seros adusquè canos
Fac, CHRISTE, Chriſtianos
Omnes ubique ſanos
Piosquè non profanos.
Fac nos frui Tuorum
Amanitate florum,
O firma forma morum
Et omnium bonorum!
Pax *nos reviſat* æqua,
Perverſitate ne quà
Premamur, ô PATRONE,
Semper iuvare prone!
In Charitate verè
Permitte nos manere:
Da lacrymis madere
Et Gratiæ patere.

O VICTOR *æſtimande*
Vires & arma pande,
TE *mæſta mens anhelat*
Culpa nihilquè celat.
A vi mali frequentis
Hoſtisquè perſequentis
Nos territos levato,
Vt ſimus ore grato.
Sic TE *benigne* PRINCEPS
Laudabimus deinceps,
Magis magisquè tuti
Cæloquè reſtituti. Amen.

ODE XCVII. Fiduciæ plena, hominis totaliter ſe Suosquè DEO committentis.

„ Quod *cum Chriſticolis pepigit* IAH *nobile* pactum (*ctum.*
„ *Nullo prorsùs erit Satanæ molimine fra-*

JOVA, *noſtra* fortitudo *certa*
Spe referta,

Sub

Sub languore reperta;
Hanc *ego quæro*
Gratiam*què ſpero*
Tramite vero.
Hoc juvante *nil timebo mortem,*
Nilquè fortem
Formidabo Cohortem:
Hoc Duce *fretus*
Vndiquâquè lætus
Stabo quietus!
Nemo me valebit amovere
Hinc ſeverè,
Huîc *inſervio verè;*
Hic *mihi vitam*
Præparat cupitam
Spe redimitam.
Hoc colore ſemper Huîc *placebo,*
Nec tacebo
Si ſub morte iacebo:
Hujus *Amorem*

Con-

Concinamquè morem
Atque decorem.
Mens proinde læta ſic Potenti
Dic PARENTI
Cœli ſerta paranti:
O DEUS, *ô* Spes,
Perpetimquè ſoſpes
Ætheris Hoſpes!
Hic Tuum tuere, quæſo, *Cœtum*
Vsque fretum
TE TUTORE*què lætum*,
Sanguine CHRISTI
Sub labore triſti
Quem peperiſti.
Quippè tempus eſt, JEHOVA, *dandi*,
Et iuvandi,
Ac in fœdere *ſtandi!*
Noxia creſcunt
In dies pàteſcunt,
Atque caleſcunt.

Vnus

Vnus hoſtis haud Tuos Clientes
Hîc gementes
Vexat, TE *profitentes:*
Mille ſed extant,
Vt Tibi *reſiſtant*
Rectaquè ſiſtant.
Totus Orbis æſtuat malignis
Clade dignis
Plenis fraudequè ſignis:
Quæ niſi tanges
Calitùsquè franges,
Nos magis anges.
Quin, JEHOVA *ſurge, nosquè ſerva,*
Ne proterva
Perdat cuncta Caterva;
Nevè necemur
Atque diſſecemur
Dusquè-ſipemur!
Sic Tibi Tuo*què,* JOVA, GNATO
Corde grato

Fo-

FOTORI*què* Sacrato,
Carmina mentes
Concinent frequentes
Clade carentes! Amen.

ODE XCVIII Ex Oratione Salomonis, ſive Agur: Prov. 30. v. 7. 8. 9.

,, *Fide* DEO; *panes penès* Hunc *ſunt, queîs ſcit inanes*
,, *Paſcere, ſi modò ſis celi jubet Alma Doſis,*

* O JOVA Rex *ditiſſime*
Fidelium PATER
Promotor *optatiſſime*,
TE quæſo, *ter, quater:*
O *Faxis, prius quàm ſentiam*
Vim Mortis aſperam,
Rerum duûm præſentiam
Habere proſperam:
☞ *Tam Vanitas, quàm Falſitas*
A me procul ruat;

Vis

Vis æris & mendicitas
In me nec irruat.
✻ *Ne forſan ære plurimo*
Cenſuquè turgidus,
Tibi DEO *pulcherrimo*
Sim ſæpè perfidus:
☉ *Ne preſſus aut penuriâ*
Rei domeſticæ
In proximos iniuriâ
Graſſer phreneticè.
☞ *Mendacioquè ne fluens*
NOMEN Tuum *negem:*
Tuo favore ſed fruens
Cæli ſequar gregem.
✻ Tu *ceû* PATER Bonus, *meo*
Des dona victui,
Vt ſim Tibi *gratus* DEO
Rem des amictui!
☉ *Sic* TE, *tot auctus dotibus*
Mentisquè munere,

Sa-

Sacris ſonabo cantibus
Tardante funere. Amen!

ODE XCIX. NATALITIA, ſive ONOMASTICA.

„CHRISTE *dator Vitæ, Ieſſéa profate Vite,*
„ *In* Te *propoſito Dexter adeſto ſito.*
„ *Da facilem curſum, mentemq́; reflecte ſursùm,*
„ *Et fer opem miſero! non malè gratus ero.*

EN, *Nominalis, imò Natalis meus*
Illuxit, ô Clemens DEUS!
Vix cogitâram, nec putaveram fore
Hoc tàm ſiniſtro tempore,
Vt ſanus atque vivus hunc *ſacrem* diem,
Vel ut ſuperſtes huic ſiem.
Sed ſum ſuperſtes, TE *favente, mi* PATER,
Gratum quod eſt, ter & quater!
Tibi *proindè debitas grates fero*

Et

Et munus hoc exaggero.
Indignus iſtis, indigus ſed ſum, bonis,
Meæ Saluti conſonis.
Quæ, Tu JEHOVA, *ſemper hic adaugeas,*
Et cor iacentis urgeas.
Vt quàm diu me vita ſoſpes aſſerat,
Mens tàm diu grates ferat
Tibi PARENTI, FILIIq́; Numini,
Et Utriusque FLAMINI:
Quòd me creâſti, quòd redemiſti reum,
Et quòd cor incolis meum.
Cuius fibras Tu JOVA *tolle corneas*
Dans flexiles & carneas.
Quod ſi negabis, enecabis me ferè
In hoc moleſto carcere.
Hic ure, punge, tunde, vulnera, ſeca,
Tantùm Salutem *ne nega.*

Nu-

Nutu Tuo *ſum vivus atque mortuus,*
Sic me docet SERMO Tuus. Am.

ODE C. Pro Divinâ Gratiâ & Defenſione.

„*Si tua Mens Mortis percellitur ægra pavore,*
„ *Nil metuas prorſus,* CHRISTI *ſtat namq;* Favore.

V Ide, JEHOVA, *res meas! totâ die*
Curæ cor urunt anxiæ.
Vt umbra, Sole tranſeunte, tranſeo,
Vix me diurnum cenſeo!
Nimis breves ſunt & leves dies mei
Inſtar vaporis fumei
Serva proindè, me gementem ſervulum,
Vt Cerva ſervat cervulum.
Sciant ut hoſtes Incly tum NOMEN Tuum,

Tra-

Tractus per omnes arduum.
Hi devovebunt, Tu *beabis me bo-*
Gratis quod efferam ſonis. (nis,
Quæ ſunt inOrbe,cuncta tempus at-
teret,
Novamquè formam conferet;
*Conſtans*JEHOVA*ſolus*Es,*dies Tui*
Nulli patent defectui.
*Qui ſub*MAGISTRO TE*benigno*
proficit,
Huic nil Satan trux officit:
Non error illum ductitat per avia
*Rectà petentem*TE *viâ.*
Orbis vale, vale voluptas terrea,
Valete vincla ferrea!
Non ampliùs me detinebitis Solo,
Nam trado me totum Polo.Am.

ODE CI. Tempore graſſantis Epidemiæ.

O „Ve

„ *Vt corpus valeat, caleat cor, pusq́; fatiſcat,*
„ *Et mens non demens medicamina quærere*
diſcat!

Cùm ſerpit auſu terribili lues,
Num Mortis arcu nos, DEUS,
obrues?
Non! ſed furens urensq́; peſtis
Auxilii cluet usque teſtis.
Hæc una Menti ſit meditatio,
Sit ſermo feſtus, fauſtaq́; cantio;
Sub mole dura, CHRISTE,
ſortis
Sæpè Tuæ *meminiſſe* Mortis.
Da, quæſo, *vires, da* Bone, *Veritas*
Erroris omnes corrigat orbitas,
Mens ipſa pugnet excubando,
Tela Fides iaciat precando!
Veni, veni iam nos Tibi *colligens,*
Cordisque noctem lumine corrigens,
O dulcis, ô Benigne CHRI-
STE,

Hoſtibus (ah!) rabidis reſiſte.
Fac intueri nos Faciem Tuam,
Dum ſæva denſat Mors aciem ſuam;
Præſtat Tuos Vultus *videre*
Quàm Latii bona poſſidere!
Vt antè, Cœtus, ſic quoq; nunç, pios,
O CHRISTE, *fraudis dirige neſcios;*
Vt hic eis benignioris
Fons ſcateat nitidus Favoris!
Hinc ſumma PATRI *gloria* Maximo
Tibi*què* GNATO *profluet* Optimo,
Cum SPIRITU Sancto *ſuorum*
Corda regente probè Piorum! A.

ODE CII. Tempore tempeſtuoſo.

„Dum fera tempeſtas & dira tonitrua durant,
„Chriſtiada CHRISTI *promiſſa fidelia curant,*
„Quæ ſerVare DEUM *nos noſtraquè ſingula jurant.*

JEHOVA, *Maieſtatis invictiſ-ſimæ*,
Rex *univerſi* Maxime,
Quàm glorioſa, quàm tremend[a] ſunt ea,
Quæ Vi minaris Entheâ!
Inane purum, Sole tecto flammeo,
Nigrore velas fumeo;
Et fulguras, & fulminas, & ar[dua]
Proterminas tonitrua.
Pateſcit hinc,ô MagneREX,*ecquia[...] quæas*
Oras in omnes terreas.
Attende nunc,ô tota Mundi ma[china,]
DEI *tui conamina!*
Cæcutiens cultu chaos Gentilium,
Rerum tenax anilium;
Cælo tonantem, ſponte, JOVAM *credidit*
Regnare, qui *nos condidit.*

Par.

Parcus TONANTIS *cultor atq; non*
frequens,
Fulgur tonitru ſubſequens,
Et dividens igni coruſco nubila
Pavet, cavetquè iubila;
Inſanienti fert modum protervia,
Finemquè ſpectat anxiè!
Teſtatur hoc metu Potentiam
DEI,
Et, quæſo, *quid ſit par* EI?
Tam bruta tellus, quàm ſonora flu-
mina
Ad hæc moventur fulmina,
Mons attremiſcit, tecta, turres,
omnia
Viventium præcordia.
O Magne Fotor *atque* Motor *AE-*
theris,
Et hinc apertè noſceris!
Ah, extimeſcant & colant TE
iugiter

Omnes,

Omnes, & omnes pariter!
Nam ceu tremendam prædicant Potentiam
Hæc magna, ſic & copiam
Sumti furoris, bullientis in Reos,
Fœdus in actis æreos.
Et quod iuvet conclave ſubterraneum
Introgredi tectè Reum?
Emiſſa tela Fulminantis Dexteræ,
Nullus poteſt evadere.
At ſæpius querceta, grex aut montium
Aut ſummitates turrium
Tanguntur ac premuntur iſtis ictibus,
Noſtris relictis ædibus.
Sit laus Tibi! *Sic, ô* CREATOR, *nos tege,*

Sta

Sta pro Tuo, JESU, *grege!*
O Sancte FLATUS, *Templa non ſinas Tua*
Quati per hac tonitrua!
Manu paternâ *deviantes corripe,*
Malisquè cunctis eripe:
Mundo ſceleſto dans per ignem terminum,
Duc nos in Abrahæ *ſinum!* A.

ODE CIII. Famis invaleſcentis tempore.

„Dans *Corvis eſcas crocitanti voce* vocatus
„*Has dabit & Nobis contrito Corde* rogatus.

O Altor Alme *Gentium*
In Te, PATER, *credentium,*
En, ut Fames ſuis minis
Nos terret, inſtar fulminis!
Nam quæ Solo mandavimus
Meſſisquè Spem captavimus,
Heû! cuncta verrit excitus

Auſter Solo radicitùs!
Hinc languet omnis copia,
Creſcit gemens penuria;
Pallent egeni, ſumtibus
Vanit cibus maioribus.
Sic nempè cùm TE *lædimus*
Leges Tuas *infringimus*,
Peſtem, Famem, tum Bellica
Devolvis in nos Claſſicá!
At parce feſſis, ô DEUS,
Ceſſet furor iam ferreus!
Ad TE *redimus, ô Tuos*
Servos tuere cernuos!
Da, ſemen arvo creditum
Fructum refundat debitum!
Vitet procellas, grandinem,
Fulmen, gelu, rubiginem.
Nil obſit illi turbidus
Imber, nec æſtus fervidus,
Bruchus nihil, nil ceteræ

Clau-

Clauſæ cavernis viperæ.
Hoc Tu *potes facillimè*
Præſtare JOVA Maxime!
Vis & potes; quis credere
Nolit Tuæ *ſe* Dexteræ?
Tu *deviis in montibus*
Iudam cibâſti panibus
De rupe duxti garrulos
Siti levandæ rivulos.
Tu, *dum fames Samariam*
Presſit, fovebas Heliam;
Et CHRISTUS Ipſe *pauculis*
Multos cibavit ferculis.
Nec Nos ſines nunc triſtibus
Famis perire morſibus.
Tui *ſumus;* TE *poſcimus*
Prebe cibos, fameſcimus!
Si Sole luſtras impios
Legi Tuæ *contrarios;*
Quantò magis nos Patriâ

Potes fovere Gratiâ?
O iam fove! Nam nemini
Stipem Piorum Semini
Permittis ore ſupplice
Rogare, TUTOR Unice.
Et cur ſinas nos anxiâ
Nunc emori penuriâ?
Reſolve Terræ viſcera
Ut mille fundant munera!
Hoc per Tuum *fac* Unicum
PATER Sequeſtrum *Cælicum,*
Ut TE *canamus ſingulis*
JOVAM Benignum *ſæculis!* Am.

ODE CIV. Pro pluviâ vel Serenitate.

„ *Non tantùm Cælo, terreſtri ſed quoq; Velo*
„ *Dona dat AEtherei Gratia larga* DEI.

R*Erum* PATER Sanctiſſime,
Cuſtos *Piorum* Maxime,
Tu *quando* TE *furentibus*

Of-

Offendimus reatibus.
Immittis aſper *aſpera,*
Vt nos fatigent Sidera;
Caloribus nunc arduis,
Nunc imbribus ſuperfluis.
Id iam videmus triſtibus
Preſſi tot { *heû caloribus,* / *udis imbribus!* }
Tellus gemit ſub pondere,
O CHRISTE *vires exere!*
Nec noſtra cerne crimina,
Quin mitte Cælo { *flumina:* / *lumina:* }
Quibus { *madeſcant* / *caleſcant* } *ſingula*
Dextræ Tuæ *munuſcula.*
Sin noſtra vota reiicis,
Nec amplius circumſpicis,
Annon fames nos pallida
Ad buſta mittet ſordida?

At Tu, PATER,*Clemens Tuæ*
Eſto caterva cernuæ!
Da quod precamur! ut pias
Tibi canamus gratias, Amen.

Salum Solumquè qui *Polumquè dirigis,*
Solem / *Imbrem* } *ſalubrem cur agris non porrigis?*

ODE CV. Tempore obſidionis, ex B. Auguſtino.

„ *Bella, fames, morum confuſio, Lerna malorum,*
„ *Contemptusquè* DEI, *curaquè ſola rei,*
„ *Proh dolor! his horis dominantur in omnibus oris,*
„ *Quæ Tu* IOVA *teras, grataq; ſacla feras!*

COram Tui *Vi* NUMINIS
Noſtri, JEHOVA,*criminis*
Molem cruentam ponimus,
Plagasquè quas accepimus.

Vtrum-

Vtrumque durum! Triſtibus
Sed mollior crux *lapſibus;*
Iſtis meremur in dies
Maiora longè millies.
Hi nos laceſſunt conſcios,
Hi nos fatigant ſaucios;
Horum dolore tangimur!
Nec ſic tamen convertimur.
Quid, quòd tot inter aſpera
Nutamus ægri vulnera?
At nemo mutat priſtina
Vitæ ſolutæ crimina.
Mens *ipſa triſtis plectitur,*
Cervix tamen non flectitur:
Quin ſi vocas, contemnimus;
Si vindicas, ſpem vertimus.
Dum corripis, dum verberas,
Culpas fatemur aſperas;
Dum deſinis, (proh!) omnia
Ruunt in alta ſomnia.

Si tela vibras, plangimus,
Florem novum *promittimus:*
Sin arma ſubtrahis Tua,
Quis pacta ſolvit mutua?
Si plectis, ut parcas, piis
Depoſcimus ſuſpiriis;
Si parcis, ut mox ſævias,
Præbemus anſas obvias.
At Tu, PATER, *fidelibus*
Qui dexter Es *lugentibus,*
Quod iure nullo poſcimus
Præſta! Tibì *confidimus.*
Præſta! nec immemor Tui
GNATI, PATER, *ſis* ardui;
Hujus *movere dulcibus*
Pro parte noſtrâ Vocibus.
Sic TE Bonum *perennibus*
PATREM *feremus laudibus,*
A Marte prolès *libera;*
Sic poſcimus, ſic proſpera! Amen.

ODE

ODE CVI. Ejusdem Generis.

,, *Tum Valida* CHRISTUS *Vi* Dextræ *brachia Vibrat,*
,, *Dum veſtræ Sortis duriſſima pondera li-* *(brat.*

JAm nunc, JEHOVA, *cernimus*
Quàm turpiter TE *læſimus*
Vitæ peractæ ſontibus
Bonum Parentem *motibus.*
Et cernimus cum lacrymis
Fracti procellis maximis,
Belli rotati turbine,
Captiquè blando nomine.
Ab! quàm mori nos præſtitit
Dum Pax Beata *conſtitit,*
Quàm tot pati pericula,
Per puncta vitæ ſingula!
O Vos *beatos millies,*
Quos *ſumma traxit hinc dies!*
Non hanc ruinam cernitis,

Ab

Ab Orbe Vos ſecernitis!
Sed, quæſo, *quem culpabimus*,
Si ritè nos probabimus?
Huius mali caput ſumus;
O parce, JOVA, *quæſumus!*
Et parcis usque! nam quibus
Sumus notati lapſibus?
Hæc pœna quæ nos afficit
Nunquam malis tot ſufficit.
Tu leniter ſed corripis:
Nec corripis, ſed corrigis;
Quin quando punis acriter,
Nos convocas alacriter:
Non quòd velis nos perditos,
Sed ut malis tot excitos
Ad TE *reducas, &* piam
Dones reverſis Gratiam.
O iam reduc! & ſuavibus
Tuis fove complexibus,
Ac in periclis dulcia

Præ-

*Præbe,*PATER,*ſolatia;*
Nobisquè confer cælitùs,
Robuſtiores Spiritus!
Vt hanc moleſtam fortibus
Sortem feramus viribus:
Tum TE *colamus ſanctiùs,*
Tuas*què* Leges *iuſtiùs*
Servemus, abs TE *penduli*
Fideliores ſervuli.
Audi preces has ò DEUS!
Murus Tuis ſis aneus,
Iuvaquè nos hinc proſperè
Ad TE Parens *excedere!* Amen.

ODE CVII. Συμπαθητική: ad Amicos, Martis Virulentiâ Vulcaniquè Violentiâ, hinc-indè preſſos. Ex Iobi 1. 2. 13. 19. Capitibus.

„ *Non credis* IOVAE *juranti? crede juvanti:*
„ *Scilicet* Is *victum tibi dat, ſimul & dat amictum.*

Qui

QVi nunc, Amici, *triſtibus*
Strati iacetis ignibus,
Prædæ relicti militum,
Spectate Jobi *Spiritum.*
Amiſit ille proſpera
Vitæ benignæ munera,
Humi iacens in pulvere
Fœdo notatus ulcere.
At non tot inter tormina
Emiſit ore nomina,
Quibus JEHOVAM *læderet,*
Aut proximos offenderet.
Si (dixit ille) *ſumſimus*
Quicquid boni poſſedimus
DEI *receptum* Dexterà,
Cur non feramus aſpera?
Hæc Ille Clemens *contulit,*
Hæc cùm placebat abstulit!
Sic res eant, ut imperat
Bonum malo qui *temperat.*

Er-

Ergò ſit Ipſi *debitus*
Honor Decorquè redditus;
Hunc *prædicabo ſingula*
Bonum PATREM *per ſæcula.*
Nec me movent hæc munera
Quæ ſuſtulit Sors aſpera!
Nil attuli, nudus fui
Has quando fibras indui:
Nudusquè Mundum deſeram
Nil indè prorsùs auferam;
Quin, quam cutem nunc exuam
Illam recenter induam;
Septusquè membris his, meum,
Videbo præſentem DEUM,
In Hoc *Fidem, Conſtantiam,*
Quando redibit ſentiam.
In Hoc *(licèt me diſſecet,*
Vel mille mortibus necet)
Spem me iuvat reponere:
Sic ſtat mori, ſic vivere!

Hæc,

Hæc, Vos Sodales *optimi*
Exempla Jobi *proximi,*
Veſtris malis apponite,
Dextræ DEI *confidite!*
Jobus *minora perdidit,*
Maiora JOVA *reddidit;*
Et Vos *poteſt maioribus*
Donare longè ſortibus.
Quòd ſi neget terreſtria,
Dabit tamen Cæleſtia;
Sperate! Spes eſt unica
Quæ dona prênditCælica. Am.

ODE CVIII. Παραιτητική, cùm PirnæMiſn. (ubi tùm Auctor degebat) crebra incendia, circa Ann. 1634. &c. orirentur.

„IOVA Pater *Curat, ne nos fera flamma perurat.*

O Sum-

O Summe TUTOR *Vrbium*,
Cuſtos perennis *ædium*,
Videsnè (proh!) quàm triſtibus
Mæſti gravamur ignibus.
Vix prima flamma tranſiit
Rurſum recens ut prodiit,
Suburbium vaſtans ſuâ
Flammâ furenter arduâ.
Et quando iam nil ampliùs
Timemus, indè triſtiùs
Invaſit hæc ſors aſpera
Vrbis dolentis viſcera.
Nam denſa quâ pars ædium
Exurgit, (heû!) incendium
Nos devorâſſet iam, DEUS
Nî murus eſſes æneus.
Tu *nos foves*, Tu *nos regis,*
Nos in periculis tegis,
Et admones, ut priſtina
Vitæ fleamus crimina.

En,

En, flemus ô Dux Optime!
Tu *parce culpæ maxima,*
Quâ TE Benignum *læſimus*
Ignesquè tot produximus.
Quos cùm repellas, ô PATER,
Hinc ſit TIBI *laus ter, quater!*
Fovequè nos in poſterum
Et pelle quidvis aſperum.
Sic TE *per Aſtra dulcibus*
PATREM *ſonabit laudibus*
Ab igne Pirna-*libera:*
Sic poſcimus, ſic proſpera! Amen.

ODE CIX. Pro veris ac ſinceris CHRISTI Exſulibus.

„*Coram* TE *ploro,* TE *pauper & Exſul adoro,*
„ IESU Gnate DEI, *ſit* Tibi *cura mei!*

Symbolum Exſulum.

Res *mihi curta Solo,* Spes *mihi culta Polo.*

☞ V*Eni, veni* Potens HERE!
Cur tam diu moraris?

De-

Deſtructor arcis inferæ,
Nihilnè concitaris
Clamoribus tot arduis
Et lacrymis Tuorum?
Cur non Tyrannos arguis
Ob ſanguinem Piorum?
* *Tandem veni, veni* DEUS!
Salvosquè fac petentes;
Illuminet Sol *aureus*
Ex corde pænitentes!
Remitte crimen, ut locus
Sit Gratiæ *frequenti,*
Verbi*què luceat* focus
Cum Gaudio ſequenti.
✠ *O excita* Potentiam,
REX fortis, *& tuere,*
Noſtramquè Conſcientiam
Iam recreato verè.
Cur Exſules diutiùs
Fers hoc furore merſos?

In

In Patriam cur tutiùs
Non excipis reverſos?
☞*Veni* REDEMTOR, *& Tuis*
Opem feras recenter!
Ut TE *canamus cernuis*
In Cœtibus decenter:
Et poſt ſuprema funera,
Sortemquè diffluentem
Da, conſequamur Æthera
Vitamquè permanentem! Am.

ODE CX. Ἱκετευτική, ad CHRISTUM Servatorem.

„CHRISTE *malis reſta, promiſſaq; dulcia præſta,*
„ *Semper & innocuos aſſere, quæſo, Tuos.*

REX CHRISTE JESU, Gnate PATRIS ardui (*Tui,*
Suffixe Ligno crimen ob Gregis
Frater *Benigne*, JOVA *noſter Optime,*

Me-

Memento noſtri, bile nos nec op-
prime.
Dixti; Venite quisque paſſu libero,
Vobis levamen Cordis & Mentis
fero! (*tamina*
Ad tam Paternæ Vocis *invi-*
Venimus, audi vota, tolle crimi-
na! (*geris,*
Tu met *revixti, vivis, & Regnum*
Icon Logosq́; Patris Almi *diceris:*
Sol iuſtus Es, *ſerena portans iu-*
bila, (*la!*
Peccata dele, pelle mentis nubi-
Sedes PARENTIS Dexterâ *celſus*
DEI,
Dator Bonorum, lenis Orator *Reis;*
Defende ſontes PATRE *coram, Ca-*
licæ
Vi Veritatis, nosq́; Sanctos effice,
Da copiam FLATûS SACRI *dulciſſi-*
mam, P *Nam*

Nam polliceris; Orphanos vos non ſinam. (*ſuggeras Tuum,*
Per Hunc, *Favorem* CHRISTE
Ut quisq; noſcat Te Patronum *mutuum.* (*tibus;*
Accende lumen ſuave noſtris Men-
FLATU Beato *da vigorem ſenſibus;* (*gula*
Duc & guberna facta noſtra ſin-
JESU Superni PATRIS *Alma Virgula!* (*mum,*
Nos inter Agmen colligas acerri-
Pro quo Cruorem *fuderas Sacerrimum.* (MINE
Fac plurimi Tuo *beentur* Nu-
Per Verba, Cæli quæ tuliſti culmine. (*plices,*
Tibi *damus nos:* Te *rogamus ſup-*
Defende nos tetras mali contra vices;

O CHRI-

O CHRISTE *noſtræ firma compages Spei,* (*Rei!* Amen.
Da ne pudoris ſimus æternùm

ODE CXI. Contra tentationes carnales.

„ *Vox pia, Cor caſtum, Stygiam vim pellit & aſtum;*
„ *Thure Sacri fumi Dæmona figit humi.*
„ *Res peragit miras,* Summi PATRIS *excutit iras,*
„ *Et pandit,* ſolum *per* Miſerere, *Polum.*

SI turpis aut libido,
Carnalis aut cupido
Te vexat, ut fatiſcas
Et fœda concupiſcas,
Viriliter reſiſte
Statim gradumquè ſiste;
Has ne per illecebras
Petas Stygis latebras.
Vbi libidinoſi
Omnes, DEUM *peroſi,*

Macbiquè puniuntur,
Flammis & uniuntur.
Vbi natant ſupini
Vtrique concubini,
Ac merſitantur unâ
In ſulphuris lacunâ.
Hic conſcientiarum
Senſus hebent malarum,
Ex mentium rigore
Et dentium ſtupore.
Hic vermis ille lentus
Flammisquè luculentus
Vires reſumit igne,
Arſurus absque fine.
Eſt caſta Mens TONANTIS
Nos inter ambulantis,
Caſtos probat clientes
Honeſta molientes.
Caſti DEUM *videbunt*
Et Aſtra posſidebunt;

Quò

Quò nil coinquinatum
Intrabit, ob reatum.
Vivamus ergò purè,
Sit Caſtitasquè curæ
Sperantibus Superna,
Et Regna *ſempiterna*. Amen!

ODE CXII. De ſocietate ac Proprietate Chriſtianæ Eccleſiæ.

„ *Tempore tam triſti* Domus *eſt* Eccleſia CHRISTI:
„ *Eſtq; beatus Homo qui ſtat in hâcce Domo.*

Q*Vi ſigna* CHRISTI *vult ſequi,*
Et Chriſtianam conſequi
Textam recèns adoream
Haud labis ullius ream;
Eccleſiæ *Matri piæ*
Incorporetur anxiè,
Vt Miles audiat bonus,
DUCI SUPREMO *conſonus.*

Sit Matre *dignus Filius*
Mores ſecutus illius,
Virtutis in ſudoribus
Et plurimis laboribus.
Mox ſe duello præparet
Quo nemo militum caret,
CHRISTI *terens veſtigia*
Perſiſtat in rectâ viâ.
Mortalium certamina,
Certaminum gravamina,
Gravaminum moleſtiæ
Sunt iſtius faces viæ.
Hic quisque pro ſe dimicet,
Præ cæteris ut emicet
Rebus gerendis fortiter
Et obtinendis gnaviter.
Omni loco, quovis die
Mentes tenentur hic piæ
Pugnas inire providè
Forti manu, non languidè.

Quum

Quum ſævus Hoſtis irruit
Et mille machinas ſtruit,
Nemo paveſcat militum
Iuvante REGE Cælitum.
Is namque Dexterâ ſuâ
Præmunit omnes arduâ,
Et per Sacros Satellites
Firmat ſuos hìc milites
Donec gerant in vertice
Decus Coronæ Cælicæ,
Sub apparatu ſplendido
CHRISTI *thronoquè candido.*
Pro quo Favore gratias
Reddamus hìc EI *pias,*
Sub ſpe futuræ gloriæ
Ac perpetis victoriæ. Amen!

ODE CXIII. Contra Luxuriam, in hâc Mundi ſenectâ nimis laxatam.

„ *Quod ſibi quiſque ſerit præſentis tempore*
Vitæ, — (te!
„ *Id ſibi meſſis erit, cùm Vox ruet:* Ite, Veni-

H*âc adeſto* Chriſtiane,
Sed fidelis, non profane,
Sivè ſerò, ſive manè:
Si gravi voracitate
Aut ferâ bibacitate
Devias, ut abſit à Te.
Namque plures hâc necantur
Dæmoniquè mancipantur,
Enſe quàm gravi ſecantur.
Hac gerit pellem lupinam,
Et tibi mentem ſupinam
Indit, ad vitæ ruinam.
Illa lurcones moleſtat
Hisquè multa damna præſtat,
Quisque dum piacla geſtat.
Hâc Parens Adam guloſus
Concidit, DEUM *peroſus,*
Poſteris formidoloſus.

Er-

Ergò tu gulam refrena
Prandio leviquè Canâ
Parſimoniaquè ſtrenâ.
Sic piè DEO *vacabis*
Rectiusquè ſupplicabis,
Et Fidem vitâ probabis.
Aptior rebus gerendis
Et ruinis perferendis
Hoſtibusque perſequendis.
Nempè mixta luculentis
Eſculenta poculentis
Sunt nociva flamma lentis.
Nam quid eſt ingurgitatus
Aut cliens inebriatus?
Eſt Bonum pravaricatus.
Hunc Voluptas tortuoſa
Et caro libidinoſa
Mancipat, bonum peroſa.
CHRISTUS Ipſe *noſter Autor*
Dux *Supremus atque* Fautor

Et Salutis executor;
CHRISTUS, *inquam, voce, factis*
In ſtatu vitæ peractis
Singularibusquè pactis
Vrget, ut frugalitati
Dediti, ſimus parati
Ad ſuprema puncta fati.
Hæc ſubindè cogitemus,
Cogitando penſitemus,
Penſitando ruminemus.
Eſt DEI *conſtans* Voluntas,
Cedat ut Cruci Voluptas,
Et novæ vitæ vetuſtas.
Cedat ergò! nosquè linquat,
Quò magis dies propinquat
Quæ bonos malosquè cingat:
Sed malos malis gravabit,
At bonos bonis beabit,
Iuge gaudiumquè ſtabit.
Inter hos ut computemur

In-

Inquè Cælo collocemur,
Mente ſupplici precemur. Amen!

ODE CXIV. De Carnalibus vitiis, & de noſtris, in exſtirpandis illis, officiis.

„ *Qui terrena volunt, illi Cæleſtia nolunt:*
„ Cras *ſemper clamant, qui bona carnis amant.*

AB *octo paſſionibus*
Horis gravamur omnibus,
Tandem gravati ſternimur,
Et ni cavemus, cadimur:
Vt ſunt: guloſa crapula,
Libidinisquè copula,
Item fames pecuniæ,
Lis, Ira, cura gloriæ:
Accedit his Acedia,
Et peſtilens Superbia,
In fomitis contagio
Contagii veſtigio.

Horum cavere crimina
Et criminum diſcrimina
Multi laboris eſt opus,
Mentisquè ſobriæ ſcopus:
Vt diligenter cognita
Iactu recedant irrita,
Precum per efficaciam
Sanctiquè FLATÙS *Gratiam.*
Declinat ictus Artifex,
Pro Lege certat Pontifex,
Chirurgus ægrum promovet;
Servum DEUS *pium fovet.*
Hoſtes habere cognitos
Vi, fraude, factis perditos,
Ad res gerendas proderit,
Victoriaquè ſpes erit.
Qui pugnat invictus Fide
Cum Belzebulis ægide,
Haud pugione ligneo,
Sed enſe gaudet igneo:

Non

Non aërem pugil ferit,
Sacris ſed armis proterit
Hoſtem ſuum, Carnem, Stygem,
Mundiquè ſubdolam ſtrigem.
Subſiſtit immotus piâ
Summi MONARCHÆ *gratiâ*
Adversùs agmen hoſtium
Et tot catervas peſtium.
Fretus Salutis *caſſide*
Certat Fide *non deſide,*
In Veritatis *baltheo,*
Et Sanctitatis *calceo:*
Donec capeſſat præmium,
Poſt tam ſeverum prælium,
Inter coronas militum,
Nec-non catervas Cælitum,
Vbi JEHOVA *Dux ſuos*
Servos honorat arduos:
Quo nos ut Idem *collocet*
Hunc *quilibet noſtrûm vocet*! A.

ODE CXV. De Hominis miſeriâ, & DEI in juvando miſericordiâ.

,, *Qui peccas miſerè,* Miſerere *reponito Verè;*
,, *Per* Miſerere mei, *tollitur ira* DEI.

HOmo, *miſer, puſillus,*
Inermis, imbecillus
Fit prorsùs, absque CHRISTO,
Mortis rigore miſto.
CHRISTI *favore caſſus*
Et mille damna paſſus
Verſatur in tenebris,
Deceptus illecebris.
Fit in Bono protervus
Mali ſed uſque ſervus,
Videns ſciensquè pœnas
Accerſit haud amœnas.
In Orbis incolatu
Deperditur reatu,
Ferociâquè mentis

Di-

Divina reſpuentis.
Inter truces Leænas
Verſatur atque Lenas,
Intrà ſinus Draconum
Et antra Scorpionum.
Tumultuantę Mundo
Submergitur profundo,
A Dite ſubiugatus,
A Morte mancipatus.
Accedit his petulca
Caro, procax, hiulca;
Libidinoſa vultu,
Effeminata cultu.
Hæc Spiritum fatigat,
Perturbat, inquietat,
Rebellione iugi,
Ne poſſit eſſe frugi.
Hanc prævidens ruinam
Et Spiritûs pruinam
DEUS, *potentę Dextrâ*

Ma-

Malum repellit extrà.
Ni tantus eſſet Ille,
Peſtes fugando mille,
Vix ſalvus eſſet ullus
Terris in his homullus.
Pro tam favore grandi,
Os debet usque pandi
Cuiusque pœnitentis
Sedes Poli petentis.
Dicamus ergò læti
Tali favore freti:
O Glorioſe PRINCEPS
Sis noſter & deinceps!
Nos unias potenter
Et munias patenter,
Non punias latenter;
Hoc poſcimus calenter! Amen.

ODE CXVI. De Conſcientiæ fiduciali tranquillitate.

Conſ-

„ *Conſcia Mens recti nequit à* PATRE *Cælite flecti:*
„ *Quippe gravem fatis hanc beat* Ille *ſatis.*

LIveto livor! PATRIS ALMI Dextera (*proſpera.*
Dum me tuetur, cuncta datquè
Liveto livor; dum reſulto gaudiis
Meum quòd augmen eſt in Entheis viis!
Sufflaminatus NUMINIS præſentiâ,
Nil curo tela Tartari frequentia.
Quin ad JEHOVÆ *Regna palmas duplices* (*ſupplices:*
Extendo, verbis bis preces dans
Regnator *Orbis*, *me* Benignus, *reſpice* (*perfice!*
Salvum precantem ſoſpitemquè
Nam Tu *Salus* Es, Tu *meum Lumen, mea* (*fellea.*
Spes, aura, rupes, fata contra
O ſis & olim! me tuere, protege,

Ho-

Hoſtesq́ſavos, qui premunt me, protere. *(ram,*
Vita Tibi *ſic munus acceptum fe-*
De TE*què ſemper,* Alme Tutor, *diſſeram.*
Creſcet Tibi *ſic laus & ampla Gloria,*
Honor, poteſtas, creſcet & Victoria! Amen.

ODE CXVII. Chriſtianorum fidelium, ad CHRISTVM confugientium.

,, *Heû malè frigemus, culpa dum mole rigemus!*
,, *Ceſſet hyems vitii, Ver monet officii.*

SUmmi PARENTIS *intima*
Imago, CHRISTE, *victima*
Ob noſtra facte crimina,
Ad mortis usque limina.
Peccamus heû enormiter,
Et vivimus deformiter:

Tu

Tu *nos* Benignus *aſſere*
De labis huius carcere.
Largire per Tuam Necem
Perferre fortiter Crucem,
Et audiens noſtram precem
Pœnam repellito trucem.
Muni Tuo *nos* munere,
Vt vel ſub ipſo funere
Simus Tui *clientuli,*
A TE *ſubindè penduli.*
Nobis quod eſt à TE *datum*
Serves REDEMTOR *hoc ratum:*
Iuvaq; nos id diſcere,
Quòd præſtet hinc diſcedere.
Averte quævis aſpera
Sub huius Orbis veſperâ,
Cuius recens delirium
Auget piis ſuſpirium.
O Liberator Optime
Obſtacla cuncta comprime,

Ac

Ac dura poſt certamina
Confer Poli levamina! Amen.

ODE CXVIII. è Pſalmo 72.

Pro Magiſtratu Politico.

„ IOVA Pater *jurat, quòd corda fidelia curat:*
„ HOC *ſine dum vadunt Prima Vltima, (cadunt.*

ÆTerne REX *Regum, Polo*
Noſtroquè qui *regnas Solo;*
Ius Æquitatis SPIRITUS
Regi Tuus *det Cælitùs:*
Vt inſtitutis optimis
Summis & adſit infimis,
Queſtus clientûm colligat
Lites iniquas corrigat.
Fraudes latronum deſtruat,
Preſſos ab illis adſtruat,
Leges honoret Patrias;
Vivat probè, vivat piè!
Illo *regente floreat*

Ius

Ius,Veritas; & prodeat
Iubar quietus melleum,
Bellum recedat felleum!
Illius *Hoſtis bellulum*
Figat lacertis *oſculum;*
Errata penſitet fera
Et arma ponat aſpera.
Sit terra latis frugibus
Fæcunda, ſanctis moribus
Urbs *hæc vireſcat, atria*
Sonent amœna gaudia.
Sic nos Tuæ Clementiæ
Ac ſempiternæ Gratiæ
Pro Rege *tanto Gloriam*
Canemus, & Victoriam.
Eius paterna pectora
O CHRISTE PACE *robora;*
Verbum Tuum *cuſtodiat,*
Preſſosq; ſemper audiat! Amen.

ODE

ODE CXIX. Chriſtianæ Mentis, conjungi CHRISTO cupientis.

„ *Vix unquam ſerVos* CHRISTO *placuiſſe ſuperbos*
„ *Si neſcis, quæras; ſpes humilesq́; geras.*

O Amans *noſtri*, DEUS, *ô Tuorum*
Lux, Arbiter, *Redemtio*,
En, vocat TE *vox mea, dum Polorum*
Ad Aſtra clamo, rugio!
In meam Mentem venias vocata,
Tibiquè *conformes eam*,
Iamquè depulſis maculis renata
Dic: En, tenebo te meam!
Munda ſit, mundum DOMINUM *decebit*
Domus pudici pectoris.
Sancta ſit, Sancto DOMINO *placebit*,

Ca-

Caſti taberna corporis.
Vas, jube, *ſanctum ſit, ut eſt creatum*,
Tuâquè *plenum* Gratiâ.
HOSPITI Sancto Tibi *vendicatum*
Ut grata præſtet atria.
Huic ades, felix *ſine fine* Vita,
Et noctis ignarus dies.
Hìc domus, præſta, Tibi *ſit cupita*;
Hîc grata ſit Tibi *quies.*
Templa qui præbet DOMINO *renatus*
Sancto *dicata* FLAMINI,
Is procul curis agitat beatus
Junctusq; Summo NUMINI! A.

ODE CXX. è Pſalmo 112.

„ *Sint tibi theſauri, ſit copia divitis auri,*
„ *Quid tandem fiet, ſi mala fama ſiet?*
„ *Non ſint theſauri, neq; copia divitis auri,*
„ *Si bona fama favet, cur tua vita pavet?*

O quàm

O *Quàm Beatus eſt Vir ille,*
Vix unus inter fortè mille,
Promiſſa JOVÆ *qui revolvit*
(Queîs Ille *Cœtui Piorum*
Fert omnium ſummam bonorum!)
Et ſic ſuum Semen reſolvit.
Eius Domus ſplendore fulget
Rerumquè copioſa turget,
In æquitate ſtat perenni,
Transit per umbras luce clarâ,
A ſorte nil timens amarâ
Tutus ſub alis Sempiterni.
Non ille pauperes repellit,
Quin promovet, dites refellit,
Linguam gubernat, temperatus
In omnibus: Fortuna duris
Ipſum moleſtat nulla curis;
Eſt firmus & ſemper paratus.
Virtutis eius fama prima
Imâ premetur non ruinâ:

Ca-

Calumniantes non pavebit,
Contemnet invidós, & atra
Juſtos trahunt qui per theatra;
Hæc nempè cuncta prævidebit.
Nam ſemper innixus Potenti
Fidit DEO, *ſe protegenti:*
Non dimovetur calle recti,
Licèt furat Mars, vim minetur,
Diramquè Mortem machinetur;
Dum cernat Hoſtes iure plecti.
Sic ergò, quando Charitatis
Egentibus fert dona gratis,
Non fronte durâ ſpequè triſti
Sed dapſili ſit glorioſus,
Dives, potens, victorioſus,
Per Gratiam *Fidemquè* CHRISTI.
At Vir ſceleſtus tanta cernens
Augmenta Juſti, *dente frendens*
Tabeſcet in labore multo
Fruſtratus omni ſpe, maligno

Quam corde fovit morte digno,
Tandem cadet furore ſtulto.

ODE CXXI. Animæ DEO ſupplicis, ſuppliciumquè æternum deprecantis.

„ *Dum ſine fine gemo, prabet ſolatia nemo*
„ *Excepto* CHRISTO: *ſolidum ſolamen in* Iſto!

AH, *me ter miſerum! mea*
Vt ſunt cuncta nimis lubrica, vitrea!
Quàm me formo TIBI *parùm*
JESU, *dulcis* Amor, *nobile Saccharum!*
Tu *Lux*, Tu *Via, Veritas*:
Error, nox ego ſum, ſum mera vanitas.
Tu *Sanctus, Bonus & Pius:*
At factis ego ſum fœdus & impius;
Quid dicam TIBI? *ſim reus,*

Dum

Dum ſim plaſma Tuum, Tuquè PATER *meus!*
Ne factum TIBI *deſpice;*
Sed penſans Lateris vulnera, *reſpice.*
Inſcriptum Manui Tuæ
Ne me, quæſo, Tuum, Spes mea, *reſpue.*
Ah, fer colloquium meum,
Quo ſervus DOMINUM, *plaſma moror* DEUM.
Iumento ſimilis, meo *(deo.*
Plaſtæ *bulla loqui (vah!) levis au-*
Hoc audere, dolor facit,
In me qui variè tela gravis iacit.
Ægrotus Medicum *voco,*
Summi *pauper opem* NUMINIS *advoco.*
O fons limpide *Gratiæ,*
Orbis delicia, laurea Gloria!

Vitæ Dux, *age, me Tuum*
In rebus dubiis reſpice mortuum.
Corpus reſpice putridum
Plenum torminibus, flebile, fœtidum.
Lux, *per quam videam, veni,*
Virtus, *quâ fragilis ſublever, adveni!*
Appare mea Gloria,
Ne ſint, cuncta, dolor, TE *ſine, gaudia.*
Tandem, CHRISTE, *veni* Bonus,
Vt, quod vita novat, triſte leves onus.
Nil hic Mundus habet boni,
Felix, quem capiunt Aetherei Throni! Amen.

ODE CXXII. Pro peccatorum remiſſione, & pœnarum mitigatione.

„*Quid*

„ *Quid ſumus (ah!) miſeri, Pietatis in augmine ſeri?*
„ *Heû ſimus & limus, fumus humusq́; ſumus!*

O *Qui remittis ſontibus*
Culpam DEUS *petentibus,*
Ne duriter nos verbera,
Tuam ſed iram tempera.
TE *nos,* Parens, *offendimus*
Culpas graves admiſimus;
Tu *pœnitentes reſpice*
Proculquè Virgas abiice!
Nam Voce *iuraſti* Tuâ,
Nec pacta franges mutua;
Quòd ſis futurus omnibus
TE, Mitis, *invocantibus.*
Sis Mitis *ô Sanctiſſime!*
Sis Lenis *ô Fortiſſime!*
Noſtris movere fletibus,
Qui *vivis horis omnibus!* A.

ODE CXXIII. è Pſalmo 85.

„ IOVA *domos noſtras beat* almæ *munere* Pacis,
„ *Proventuq; Soli facit horrea plena feracis.*

R*Ore Cæleſti madidata Tellus*
Proferens tinctum Pietate vellus, (TEM
TE Redemtorem *colit &* PAREN-
Vincla terentem.
Nam Tuæ promtus ſcelus omne Genti
Tu *remiſiſti grave quid gementi,*
Expians fædam Bonitate *labem*
Cordequè tabem.
Frena fixiſti merito furori,
Compedes ſtruxti nimio dolori,
Mitigans fluctus rapidos in iræ
Fulmine diræ.
O DEUS *noſtræ Patriæ ruinas*
Tolle; deliba lacrymas ſupinas,
Corporis preſſi renova figuram
Pondere duram.
Siſte creſcentes ſtimulos furoris,
Col-

Colloca noſtris relevamen *oris,*
Nec grava pœnis malè prurientis
Pignora Gentis.
Vividam mentem tribuas rogamus
Omnibus nobis, pelago natamus!
Sparge fœcundum laticem Favoris
Triſtibus horis.
Pelle mœroris trucis ampla tela,
Gaudii grati dato læta vela;
Te DEUM *noſtrum precibus colemus-*
Atque canemus.
Mitte de Cælo radios benignos
Martis excludas ſtrepitus mali-
gnos,
Sis Tuis firmum columen, Salutis
Fœdere *tutis.*
Audiemus Te DOMINUM *loquen-*
tem
Pacis optatæ *cumulos ferentem,*
Et Tuis Sanctis pia Verba flantem,

Munera dantem.
Fige, ſuppreſſos vitiis, timore;
Merge, nodatos ſtudiis, honore:
Gratiæ rivis recrea clientes,
Crimina flentes.
Veritas Pacem *ſolidet* Beata,
Juſta Fax Legum *ſit* AMORE *nata,*
Oſculum blandum geminent labellis;
Sed ſine bellis.
Veritas *Terræ ſaliat cavernis,*
Æquitas Legum *Superis tabernis*
Exerat vultus, oculosquè lætos
Numine *fætos.*
CONDITOR *rerum,* Bonitatis Autor
Parce peccatis, miſerere Fautor
Omnium noſtrûm, fugiant querelæ
Sortis anhelæ.
Inſtruas campos pluviâ frequenti,
Vi-

Vineas uvis, oleâ recenti
Hortulos, ſulci generentquè ſpicas
Panis amicas.
Brachio Legum *moderare Mundum,*
Opprimens Belli ſtrepitum profundum,
In viâ tutâ ſolidi receſſûs
Exſtrue greſſus! A.

ODE CXXIV. è Pſalmo 124.

„Spem ſervare DEO; *ſimul* Huic *ſervire tenemur,*
„ Donec ab invitâ Vitâ ſuper Aſtra feremur.

D*Icant Pii fidelibus*
Ad Aſtra verſi Vocibus:
Hoc omne quòd nunc vivimus
Noſtro JEHOVÆ *reddimus.*
Nam cùm venirent perditum
Nos Copiæ tot Militum,
Mox Ille tutos reddidit,

Technas latentes prodidit.
Nî præſtitiſſet: ah, quibus
Iſti Lupi nos artibus
Examinâſſent! Aſpera
Quæ non patrâſſent funera!
Et fortè vivos turpibus
Deglutiiſſent faucibus,
Fervore bilis perciti
Ad Arma ſemper exciti.
Quin ſicut unda triſtibus
Nos obruiſſent fluctibus,
Et viribus nos perditis
Cæci necâſſent gurgitis.
Ergò DEO Ter-Optimo
Sit laus Patrono Maximo,
Qui *non Suos crudelibus*
Prædam reliquit Hoſtibus.
En, iam ſoluti carcere
Obambulamus liberè!
Vt aucupis dum vincula

Rum-

Rumpit volans avicula.
Hoc præſtat Is, Qui *Cælites*
Terraquè fecit limites;
Hunc *nos canamus ſingula*
Bonum PATREM *per ſæcula.* Am.

ODE CXXV. Ante Cibum.

„ *Sanus erit certâ ſerVans lætamq; Diætam.*

☞ E*Denda quinque millibus*
Non de bobus tricenis,
At pane quino, piſcibus
Binis, JEHOVA lenis,
☞ Qui *ſufficis & efficis*
Dapum ſuper-ſat-eſſe,
His ferculis pauperculis
Dignare nunc adeſſe! A.

ODE CXXVI. Ad Menſam, Cibi causâ, accedentium.

„ *Eſcas præſentes benedic* DEUS, *& comedentes;* *(rum!*
„ *Potum ſervorum, benedic quoq;* IOVA, *tuo-*

O Qui *ſub alis cuncta*, DEUS, *foves,*
Qui *paſcis herbâ frugiferâ boves,*
Quo Patre *gaudet grex volantûm,*
His dapibus benedic precantûm.
Nos Sponſa Gnati, *nos Famuli,* Tui,
Ardore cujus *da penus uſui,*
Da Gratiam frugalitati;
Stet decus undè Benignitati! A.

ODE CXXVII. Ejusdem Sensûs.

„ Qui *cibus* Es *mentis, benedic hæc fercula Ventris,* *(nem!*
„ *Et tribuas Panem, quo languida pectora ſa-*

O Qui *regis cunctas penus,*
Terras, & humanum Genus,
Has ad dapes, en, *adſumus;*

Ad-

Adſis & IPSE quæſumus!
Imple Tuo nos gaudio,
Noſtroquè contubernio
Præbe, neceſſe quod vides,
Et firma quod petit fides.
Da ſana nobis fercula,
Da ſana quin & pocula:
Dulcedo vera, *da Tui*
Muſto ſaporis imbui! Amen.

ODE CXXVIII. Ante Prandium.

„ *Vt caro te portet, prudens utaris oportet*
„ *Vel modicò medicè, vel medicò modicè.*

IN TE *creata ſpem locant*
Et Te Patrem, DEUS, *vocant;*
Hæc Tu *cibas miro modo,*
Paſtu focillas commodo.
Tu *quando pandis Dexteram*
Largam, benignam, proſperam,
Bonis replentur omnia

Gratiſſimis viventia.
His ergò ferclis annue
Quæ dona ſunt Manûs Tuæ,
Danturquè ſingulis probis
Longè ſecùs quam reprobis.
Per Nomen *id* Gnati Tui
Præſta (rogamus!) ardui,
Quem *Præſidem nos omnium*
Agnoſcimus credentium. Amen.

ODE CXXIX. Ante Cœnam.

„ Salvator IESUS *ſit noſter potus & eſus!*

JESU PARENTIS GNATE Ter Optimi
Supreme Paſtor *pectoris intimi,*
Verbo *ciba Mentem* ſuperno,
Paſceque gramine ſempiterno.
Corpus diurnis debile panibus,
Nutri, modeſtis guttura potibus;

Vt

Vt Mens, & artus Pane paſti,
Conficiant ſua penſa *caſti!* Am.

Regula Menſalis.

Pone gulæ metas, & erit tibi longior ætas:
Eſſe cupis ſanus? ſit tibi parca manus.
Sicut Sobrietas facit, ut ſit longior ætas:
Sic ſolet Ebrietas Vitæ breviare dietas.
Vt minus ægrotes, ne grandia pocula potes:
Eſſe nequit vivax, qui fuit eſtque bibax.

ODE CXXX. Poſt Cibum.

„ *Sint* DOMINO *grati* DOMINI *Bonitate cibati.*

QUi *nos benignè paſcere*
Matris ſoles ab ubere,
Rerum CREATOR *provide*
Et carnis Altor *languidæ,*
Has reddimus grates Tibi,
Quòd copiâ largâ cibi
Abs TE *refecti vivimus,*
Hy-

Hymnumquè laudis pangimus,
Cantare fac penus Tuum
Sono piorum verſuum;
Fac, noſtra deindè Muſica
AEternet iſthac Cantica, Amen.

ODE CXXXI. Gratias pro Victu agentium.

„ IOVA *cibat gratos nullo non tempore Gnatos.*

C*Orpus refectum*, Sancte, *cibis*, PATER
Ad Te *levamus; ſit* Tibi, *ter-quater*
Noſtris profectum carmen aris,
Laude per Aſtra DEUS *feraris!*
Tutare Corpus, Correge languidum,
Verbum Salutis *ſuffice lucidum,*
Vita cibo nos paſce CHRISTE!
Omne ſit hac ſine fruge triſte. Am.

ODE

ODE CXXXII. Ejusdem valoris.

„*Tum bene prandetur, cùm* CHRISTUS *adeſſe videtur,*
„ *Et grates gratas comprobat ore datas.*

P*Aſti bonis aſſurgimus,*
DEO*què grates dicimus,*
Vitæ neceſſe quod fuit,
Non defuit.
MONARCHA *ter ſanctiſſime;*
Pater*què clementiſſime*
Ab Unico TE *ſumſimus,*
Quod edimus.
Sic usque Cælis edito
Sermone *mentem paſcito,*
Ut ſervet ad Cœlos iter
Fideliter! Amen.

ODE CXXXIII. Poſt Prandium.

„*O quàm*

„ *O quàm multa*, DEUS, *nobis das* dives *egenis*,
„ *Quæ tellus facunda locis effundit amænis!*

CAntate *vocibus piis*
Laudes DEO *cum gratiis*,
Quòd ſit Fidelis *&* Bonus
Mortalium levans onus.

Qui *dat creatis omnibus*
Cibos, & invocantibus
Corvis; feris nec-non ſua
Largè miniſtrat paſcua.

Non ſpectat Ille *robora*
Equi, Virûmquè corpora;
Sed SE *favet timentibus,*
Dans Gratiam *petentibus.*

PATER Benigne, *nos pias*
Tibi *ſonamus gratias,*
Donis Tuis pro maximis
Tam nuperis quàm proximis.

Qui *vivis & regnas* Tuo
Cum Filio, *cum* mutuo

Nos

Nos uniente Spiritu,
A ſæculorum conditu! Amen.

ODE CXXXIV. Poſt Cœnam.

„IOVA *cibat Mentem Se jugiter eſurientem,*
„*Ne ruat ex toto Se Vero Pane remoto.*

O CHRISTE Patris GNATE Ter Optimi,
Supreme Paſtor *pectoris intimi,*
Qui *nos cibâſti corporali*
Pane, ciba quoque ſpiritali.
Sit laus Tuo, *ſit gloria,* Nomini,
Per cuncta Sancto *ſæcula* Numini!
Tu *nos fove,* Tu *paſce corpus,*
Ne luis atterat exta morbus! A.

ODE CXXXV. Peregrè, causâ Boni Publici, abeuntis.

„*Sis Patria gratus, Civesquè juvare paratus*
„ *Auxilio prono, Conſilioquè bono.*

O A-

O *Abrahami* Maxime
Dux, Altor, Ultor Optime,
Duc me per omnes invias
Reducquè defenſum vias.
Expers pericli patrium
Cernam, redux, ut Atrium,
Mandata curem iugiter
Functus labore gnaviter.
Ceû namque Te *ſequentibus*
Opem tuliſti Patribus:
Sic me fovebis parvulum
TE *confitentem ſervulum.*
Hoc dum beabis me Bono
De Cœlico Tuo Throno,
Mox TE *ſonabo patrio*
Hymnis Sacris in Atrio! Am.

Vt prodeamus è Domo feliciter,
Totumquè fauſtum ſortiamur hoc iter,
Faxit IEHOVA, *Summus Orbis Arbiter!*
Sic Huic *reverſi concinemus ſuaviter.*

ODE

ODE CXXXVI Pro itinere feliciter continuando.

„ A Patriâ quisquis peregrinas tendis ad oras,
„ Vix errare potes, CHRISTUM *ſi promtus adoras.*

A *Deſto* Ductor, *atque* Doctor
Optime,
Precique cordis intimæ
Faveto clemens; ô DEUS, *Virtus mea,*
O turris, ô arx ænea!
Cum Verbum TIBI *propono ſubmiſſè* Tu-
Menti meæ dulcifluum:
Non vana, non eſt una fallax litera,
Es quippè Veritas *mera.*
Mandavit Angelis ſuis communitùs
(Davidis inquit Spiritus:)
Vt te viis cuſtodiant in omnibus,
Salubrium tenacibus,

Cer-

Certis ubiq; te levabunt dexteris,
Ne corruas in aſperis:
Hi ſunt Miniſtri, qui miniſtris in-
fimis
Caſtris miniſtrant intimis.
Quod urgeo, Tui *tenax, procli-*
viter,
Fac ſit mihi felix iter;
Egreſſus, & progreſſus, & Ma-
nu Tuâ
Regreſſus eſt in arduâ.
In TE *movemur, vivimus, per* Te
ſumus,
Vitâquè quicquid poſſumus:
Cùm ducis, imus; cùm relinquis,
labimur;
Cùm ſublevas, ſuſtollimur.
Ductare, JESU CHRISTE, *ſanctis*
Angelis
Me ſervulum Tuum, velis:

Il-

Illâ Cohorte, quâ cadunt grava-
mina,
Illic & hîc me margina.
Ductore Te, *qui non ubiq; nititur,*
Periculis quot mergitur!
Invertit eius cuncta ſeſe fau-
ſtitas,
Tanquam rotæ rotunditas.
Hic à latronum diritate cingitur,
Globo, vel haſtâ ſternitur;
Hic ſemivivus in vepretis con-
cidit;
Hic æra, veſtes perdidit.
Verboſus inſtar qui comes vectabuli
Debebat eſſe blanduli,
Cavernulâ, vel ſenticetis ab-
ditus,
Trucidat obvios citus.
Quid multa? non eſt fidus hoſpes ho-
ſpiti,

Com-

Commiles haud commiliti:
Non frater eſt amore fratri deditus,
Vt eſſe debet, ſibritùs.
Poſtica ſæpè quæ latent pericula,
Honeſta torquent corcula.
Domo licenter vilis eſt res egredi,
Virilis autem regredi.
Sunt & reperti, quos ut diſcerpere
Ferociens bilis fera;
Hunc unda ſuffocavit amnis inſcium,
Aut quaritantem pervium.
Et hæc, & his maiora ſunt & pluria
Vitæ viarum tædia:
Nam milleformis Artifex iam perditus
Nos perditos vult funditùs.
Quis ergò ſtabit, ô DEUS ter Optime,
Si

Si non iuvabis intimè?
Adeſto clemens mi Patrone! *Nullibi*
Turbabor, innixus Tibi.
Quovis in angulo guberner Angelo,
TE *ſupplici precor melo!*
Eiusmodi num non creáſti Servulum,
Vt ſervet hic homunculum?
Sic Abrahamum, ſæpè motum duxeras,
Et à malis protexeras.
DuctoreTe, *Iacobus exit Patriâ,*
Reditquè felici viâ.
Sic Iſraëlis adfuiſti poſteris,
Viisquè duxti proſperis:
Non obſtitit furor Tibi *Niloticus,*
Eos retentans mordicùs.
Sic Angeli ductu Tobias iunior,
Multis fuit felicior.

Sic Paulus, edocere miſſus ut fuit,
Quá non in orâ floruit;
Qui Te, DEUS, *non alteras, & hac vice*
Benignus *hîc me reſpice!*
TE *ſublevante fauſta ſit mihi via,*
Agenda vernent omnia!
Rebus peractis, ſim redux non flaccidus,
Sed ad laborem fervidus,
Cui embryonem, Matris in geſtamine,
Certo vocáſti nomine.
Do, ſubdo, commendo Tibi *corpuſculum*
Flatumquè vitæ promtulum:
Servum ſubalarem Tuum quis terreat?
Quis vi nocivâ torqueat?

Ab-

Abite curæ, cede livor hoſtice,
Quem JOVA *cingat, reſpice!*
Me cingit, inquis, indignum!
ſed indigum
Favoris Eius remigum.
Hâc ſpe feror, ceſſura cuncta proſperè;
Spes neſcit erubeſcere:
In valle mortis, ſi vias non cernerem,
Non hanc tamen deponerem!
Sit glorioſa Laus DEO Patri *pio,*
DEI*què* JESU Filio;
Æqualis Utriusq; *ſit* Spiraculo;
Amen: ſit omni ſæculo!

Egreſſum benedic, DEUS *Deorum,*
Regreſſum celerans pedum meorum!

ODE CXXXVII. Domum redeuntis.

„*Conſilium verum docet experientia rerum:*
„*Conſilio factum non pænitet eſſe peractum.*

O *Alme Tutor omnium*
In Te, PATER, *credentium,*
Perſolvo nunc Tibi *pias*
Domum reverſus, gratias.

Tu *me potente Dexterâ*
Per ſaxa quævis aſpera
Dûxti, redûxti, mi DEUS,
Ne quâ labaret pes meus.

Non me procellæ perviæ
Nec factiones deviæ
Læsêre furum, ſingula
Sed pulſa ſunt pericula.

Tum, quæ peregi munia
Noſtri {*Chori* / *Fori*} *communia,*
Tractare me felicibus
PATER *dediſti curſibus.*

Ni Tu *dediſſes, perditus*

Ut

Vt ſemper errat Spiritus,
Res proſperas confunderet,
Tuosquè fundo verteret.
At Tu *malignum vindice*
O CHRISTE *Dextrâ confice,*
Tuáquè me Clementiâ
In facta duc ſequentia.
Sic Te Benignum *ſuavibus*
Cantabo Patrem *laudibus;*
Præſente ſoſpes Te Duce
In quâlibet vincam cruce! Am.

ODE CXXXVIII Pro Novis Conjugibus.

„CHRISTE, *ſuum* Sponſum *quem Mens pia neſcit & ambit* (*lambit!*
„ *Pelle malum, teneros quod Sponſos undiq;*

CAſtum DEUS *Torum probat,*
Vagos amores improbat;
Eſt teſtis Hortus *Calicus,*
Humorquè Canæ *Maſſicus.*

Quod JOVA *ſanxit* Optimus
Id GNATUS *auxit* Maximus,
Conviva tædis adfuit,
Sponſis mero non defuit.
Aquâ dolor, mero pia
CHRISTI *notantur gaudia;*
Illo *rubeſcit* Hoſpite,
Quovis merum ſub caſpite.
Fides, Amor, Concordia,
Vnit, fovet præcordia,
Repellit omne frigidum
Torumquè reddit vividum.
Hunc *nos vocemus* Hoſpitem,
Precemur Auram *ſoſpitem*
Novis Maritis *congruam,*
Prolemquè lecti mutuam.
Fave DEUS, *fave* TRIAS,
Affla Tuorum *Nuptias!*
Horti Tui *ſint floſculi*
Vitis *virentis ſurculi,*

Nul-

Nullis premantur caſibus,
Nullis graventur caſſibus:
Votis favete Numina!
Cælum micat, ſunt omina! Am.

ODE CXXXIX NUPTIALIS.

„ *Conjugium ſine prole, velut Mundus ſine Sole*
„ *Dicitur eſſe; Deus noli ſed utriq; deeſſe.*

O Potens *rerum* Creator,
O Piorum Soſpitator,
Cuncta Qui *regis Tuâ*
Vi mutuâ.
Coniuges Tu *condidiſti*
His Tori leges dediſti;
Liberos ut gignerent,
Sic creſcerent!
TE *vocamus*, TE *rogamus*,
Et preces Tibi *litamus*,
Eſto præſens Huic pio

Connubio.

Gratiam Tuam *benigno*
Exeras ferasquè ſigno;
Vt Tibi *ſic ſerviant*
Qui deviant.

Pelle lites, pelle Sortem
Noxiam, feramquè Mortem,
Pelle quæ Sponſis *nocent,*
Da quæ docent.

Avolent procul rigores
Floreant TE Dante *mores,*
Et rubeſcant hydriæ,
Fons Gratiæ!

Subveni Sponſis *novellis*
Subvèni DEUS *tenellis!*
Cinge, firma, robora
Hæc corpora.

Sit duobus ardor unus
Vt pudoris dulce munus
Hos beet beatulis

Ne-

Nepotulis.
Qui Tuum *canant* honorem,
Et ferant pium laborem;
Donec exemti Solo
Sint in Polo! Amen.

ODE CXL. NUPTIALIS.

„ *Quid bona Nupta? Bonum magnum, lux, nobile donum.*
„ *Quid mala Nupta? Malum, fluctiferumque Salum.*

⊙ QUi *Tuam* Sponſam *tueris*
Obviis in fluctibus,
Victa ne mali ſeveris
Obruatur luctibus,
∗ TE *rogamus*, Hoc *ſecunda*
CHRISTE, Matrimonium,
In merum vertatur unda,
Inquè tædam tædium!
☞ SPONSUS ES, Sponſis *adeſto*
Bina iungens corpora,
R 5 Et

Et pio ligata ceſto
Cinge, flecte, robora!
☉ *Lite, da, vacare Tectum,*
Pax *ſit* Horum *ſedibus,*
Hac Larem caſtumquè Lectum
Firmet, absque fletibus!
✻ VITIS Es, Vitem *maritam*
Eſſe fœcundam iube,
Atque da Charis *cupitam*
Chare *Prolem* PRONVBE!
☞ *Vt Tuo Favore tuti*
Soſpitesquè iugiter
Requè nullâ deſtituti
TE *ſonent alacriter!* Amen.

ODE CXLI. Γαμικὴ, ex Pſalmo 127.

„ *O Vita* VITIS, *benedic his, quaſo, Maritis;*
„ *Ira nec hos Ditis nec premat atra ſitis!*

E*St nimis felix* Vir is, *& beatus,*
Siderum curſu placidoq́ natus,
Qui

Qui DEI *volvit ſequiturquè purâ*
Dogmata *curâ:*
Is dolos omnes graviter peroſus
Cernitur factis benè ponderoſus,
Quæ placent Verum populo ſonanti
Atq; TONANTI.
Talis ærumnis caret ac dolore,
Talis augetur nimio favore,
Hunc DEVS *ditat vario bonorum*
Munere florum.
Illius Conjux, *velut alta Vitis,*
Proferet fructus meritis cupitis,
Congruo tandem parietquè bellos
More Puellos.
Hi Chorum gratis ſtudiis beabunt,
Indè per magnos titulos meabunt;
Atque defendent Patriam *Sacratis*
Non ſine fatis.
Sponſe *Tu talis quoque nominari*
Iam potes (poſſum velut ominari!)

Te DEUS charæ *decorat* Maritæ
Germine ritè.
Cerne iucundos ſine lite Soles,
Sint procul rixæ, pereatquè moles
Quæ ſolet Sponſos *teneros latente*
Rodere dente.
Hoc petunt Sacræ precibus Camœnæ,
Hoc vovent ultrò Charites amœnæ;
Annuat tantis DEUS Ipſe *Votis*
Pectore fotis! A.

ODE CXLII. NUPTIALIS, ex eodem Pſalmo.

„ *Quos conjunxiſti, tuearis ab omine triſti;*
„ *Ambo,* DEUS, *creſcant feliciter, ambo ſeneſcant!*

O Te Beatum, *qui procul conſortiis*
Ac improbis commerciis
Remotus, ALMUM *mente* JOVAM *reſpicis*

Tu-

Tuisquè rebus proſpicis;
Nec es ſecutus ullius nutu viam
Malam, ſceleſtam, deviam.
Beatus, *inquam, totus es ter & quater,*
Te JOVA *diligit* PATER!
Te res labore parta nunquam deficit,
Nec Sors ſerena deſpicit.
Te fida Conſors *proſperi Tui* Tori
Pulcherrimæ par Arbori
Beat recenter ac decenter Filiis,
Veris merisquè Liliis;
Quum Vitis *inſtar ad tuam Menſam micat*
Et Stirpis omen indicat.
Omen beatum! Nomen id fert inclytum
A rebus ipſis inditum.
Eſt namq; dulce tot *videre* ramulos
Suæ Domûs per angulos,

Fructum Colono *quæ* ſuo *dant tempore*
Dites benigno fœnore.
Viri fidelis hoc ſit, ecce, *præmium*
Boni futuri prævium!
Hæc ſunt brabêa Conſcientiæ piæ,
Non pertinacis, impiæ.
Et te ſequentur, Sponſe, *dona talia*
Per Orbis hæc magalia,
Quæ tu videbis à PARENTE LUMINUM
Diffuſa per tuum ſinum.
Longos ut annos tranſigas Mathuſalem
Agasquè lætus in SALEM.
Hâc cum virente, Tu *virebis, omnibus*
Et cum tuis Nepotibus.
Nec te pigebit, quòd ſecutus es piam
DEI *viam, non deviam.* Amen!

Vo-

Votum Nuptiale.

„ *Sit tibi Conjugium fertile confugium!*

ODE CXLIII. Pro Reipubl. meliori ſtatu, molliorique fortunæ flatu.

„ *Fac* DEus, *ut tuta* *vireat* Proſapia RUTAE,
„ *Floribus acta bonis, pluribus aucta thronis!*

O *Summe* REX *regnantium*
Nobisquè iura dantium,
Vultus Tuos huc coniice
Tractum*què noſtrum reſpice,*
DUCEM *guberna; Fac* Tuas
Leges *ſequatur arduas!*
Sit mitis ergà ſubditos,
Hoſtes repellat perditos.
Status *item defendito*
Mentem Potentûm *flectito;*
Vt protegant fidelibus
Hanc Patriam *conatibus.*

Huic

Huîc *inſuper* noſtræ DEUS
Sis murus Urbi *ferreus,*
Hîc floreat, fac, AEquitas
Tuiquè Verbi *puritas!*
Serva Senatum *cum Grege,*
Ac Incolas omnes tege;
Da Sanitatem ſingulis,
Omnes leva periculis.
Tum quæ, PATER, *communibus*
Scis apta noſtris uſibus,
Clemens, Bonus*què da; pias*
Demus Tibi *quò gratias!* Amen.

ODE CXLIV. Εὐχαριςικὴ, pro variis DEI Beneficiis.

„ *Omnia dat* DOMINUS, *non habet indè minùs.*

O CHRISTE, Spes *Vitæ meæ firmiſſima*
JESV Salus *certiſſima,*
Ago Tibi *nunc gratias pro ſingulis*

In me Tuis Munuſculis.
Nam me foves primis ab annis, ad meos
Hucusquè crines plumbeos.
Te deprecor, ne nunc item me deſere,
In hoc moleſto carcere.
Tu *cùm nec eſſem, me creâſti; tum mea*
Cùm Sors tonaret ferrea,
Me liberáſti perditum de triſtibus
Rufi Draconis retibus;
Sumtâ Meâq; Carne, feciſti Tuam
Mihi Salutem *mutuam.*
Servus fui, Tu REX*: in hoc ergaſtulo*
Pro me gemebas ſervulo.
TE *tradidiſti funeri, quò proſpera*
Vitæ viderem munera!
Mortisquè viciſti dolos, ne me ſuis
Telis gravaret arduis.
Tu *redderes ut denuò me divitem,*
Ter-

Terra ſubîſti limitem.
Tu *Dæmonis quò me levares carcere*
Hûc auſus Es *deſcendere*:
Tantùmq́ flagrâſti mei dulcedine,
Vt pro meo diſcrimine
Tui Cruoris *rivulos effunderes,*
Meamquè labem tergeres!
Me plus amâſti, CHRISTE, *quàm*
TE; *Mors Tua*
Illud fatetur cernua:
Hâc exulantem Morte, Dux, *in propriam*
Tu *me redûxti* Patriam:
Hâc me redemiſti, Bonus, *de ſauciâ*
Tyrannidis potentiâ:
Hâc me retrâxti, cùm fuiſſem triſtibus
Pœnas daturus hoſtibus.
Quid eſt, Tuo *quòd me vocâſti* Nomine?

Quid

Quid quòd notâſti Sanguine?
Quid rore pingui quòd rigâſti ſimplicem,
Mei capilli Verticem?
Sum Chriſtianus; *hocquè ſtabo Nomine*
Audax in omni túrbine!
Et hactenus ſteti quidem, Clementiâ
Tuâ*què fretus* Gratiâ.
Tu *cùm gravarer hinc & hinc crudelibus*
Me liberâſti caſibus.
Cùm de viâ ceſſi, redûxti me pia
Benigne Dux, *in Atria.*
Tu *ſi quid ignoraveram, me dulcibus*
Exercuiſti Vocibus.
Si pollui me labe, Conſcientiam
Examinâſti ſauciam.
Si langui triſtis, tuliſti mitia
Men-

Menti gravi ſolatia.
Si ſpe lababam, fortiores Cælitùs
Mihi dediſti Spiritus.
Sin ac humi lapſus iacebam, proſperâ
Me ſublevâſti Dexterâ.
Si quò pedem tuli, mihi præſens Viam
Dux *reddidiſti perviam.*
Tu *me recepiſti ruentem dulcibus*
Ad Te, PATER, *complexibus.*
Quando vocavi, prabuiſti Te meis
Rebus Bonum, *voti reis.*
Et quis recenſendis Tuis ſit ſingulis
Idoneus Munuſculis?
Non in patente tot Polo ſunt ſidera,
Quot Tu *mihi fers* Munera.
O CHRISTE, *fac ut* Dona *ſemper hæc piis*
Circumferam præcordiis.

Hæc Ore grato prædicem Conſortibus,
Hæc explicem Nepotibus:
Tibi*què grates accinam, donec citus*
In me manebit Spiritus.
Tantùm quoad ſum vivus hoc ſub turbine
Me CHRISTE *porrò ſuſtine;*
Et quicquid usque perpetravi criminis
Dele Tui *vi* Sanguinis!
Quin, quando Regna deſeram mortalia,
Me transfer ad Cæleſtia:
Ut TE *per ævum cum Tuis fidelibus*
Feſtis celebrem laudibus! Amen.

ODE CXLV. Νουθετική, ad laudes jugiter DEO ferendas.

„ *Mens quæras* CHRISTUM! *Piger eſt qui neglìgit* ISTUM.

DEI

DEI *favore plenam*
Reſolve quisque venam,
Laudesquè funde CHRISTO
Vita ſtatu ſub iſto.
Sit tenſa palma duplex,
Opem rogetquè ſupplex;
Mens voxquè laude crebrâ
PLASTEM *tuum celebra.*
Cor canticis ſolutis
Effer DEUM Salutis:
Ut ad Superna *curras*
Per Orbis has ſaburras,
Beat JEHOVA *lenis*
Bonis pios amœnis:
Pro felle mella fundens
Et quod gravat retundens.
Per Sacra Templa *latè*
Laudes DEI *beata*
Cùm perſtrepunt, recedit
Satan, nec usquè lædit.

Le-

Legem DEI *ſequentes*
Sint ſemper ergò mentes
Proba, pia, beata
Erga DEUM*què grata*.
Amare Sancta diſcant,
Æterna concupiſcant
Quos CHRISTUS *expiavit*
Cæloquè deſtinavit!
Ceſſent in Iſraële
Iam murmur & querelas
Quarantur at medela
Ductu Sacræ Loquelæ.
Faceſſe Perſecutor
Fraudumquè ſæve Sutor,
Noſter JEHOVA *Tutor*
Eſt Pacis *Inſtitutor.*
Is *fata dira tollit,*
Et flagra dura mollit:
Succurrit univerſis
Adverſitate merſis.

Con-

Contrita corda ſanat
Anfractuoſa planat,
Ac poſt graves rigores
Suaves parat vigores.
Suos JEHOVA *gnatos*
Recolligit fugatos:
Vt reddat hosce gratos
Malo gravi levatos.
Huîc *ergò quisque pſallat*
Tempus Crucisquè fallat,
Donec malis ſolutus
Scandat Superna *tutus.* Amen!

ODE CXLVI. De Supremo Chriſtianorum refugio.

,, *Tuta manet* Dîo *Mens pia* præſidio.

IN *Regibus ſpem ne locemus exteris,*
Ductoribusquè ceteris;
Nil eſt Salutis Principum ſub dexteris,

Hanc

Hanc JOVA *dat* REX *Ætheris.*
Eſt *nempe* noſter, *eſt* PATER *placabilis,*
Eſt *blandus & tractabilis:*
HUNC *ſi rogemus, annuet Bonus preci*
Iugiquè ſubtrahet neci.
Velut tenello filio Puerpera
Cum lacte præbet ubera:
Sic JOVA *nobis dat* Sui Verbi *ſonum*
Dat dulce fœderis Bonum.
Nec ILLE *demum, quum miſellos liberat,*
Cum Regibus deliberat;
Præſtat ſed illud Optimus PATER *citò,*
Nec parcit Hoſti concito.
Licèt Tyranni mille conſuant dolos
Ipſosquè conſpuant Polos:
Tamen capiſtra quæ miſellis congerunt,

S *Dum*

Dum corruunt, ipſi ferunt.
JEHOVA *noſter* ſolus *eſt mirabilis,*
Solus*què formidabilis;*
Hunc *ergò* ſolum *iam timete terri-*
Eiq; *ſitis deditì!* *(ti*
Vos ILLE *cunctis extrahet periculis*
Opem feretquè ſingulis:
Vt liberati gratias detis pias,
Rectas eundo per vias;
Nec vos priori polluatis crimine,
Freti DEI *munimine.* Amen!

ODE CXLVII. De ineffabilibus CHRISTI beneficiis.

„ *Credit is in* CHRISTUM, *quisquis bene diligit* Iſtum: *(num.*
„ Ejus *id eſt donum,* qui *facit omne Bo-*

Q*Vòd Nos* creavit, *quòd* redemit, *quòd Suo*
FLATU refecit *arduo,*
Baptiſmatisquè CHRISTUS *ungat Chriſmate,* *Ac*

Ac uniat Chariſmate,
Quis iſta, quaſo, quis loquetur talia
Dignè ſatis Magnalia?
Solo Saloquè devias imus vias,
Callemus haudquè res pias!
In TE *proindè Spem* JEHOVA *figimus,*
A TE *valorem poſcimus.*
Sunt hîc caduca, vana ſunt hîc gaudia
Dolore plena tædia.
Quid in palude, quid Salutem quærimus?
Quid hîc perenne cernimus?
Piis in uno *reſtat otium* DEO;
Ad Hunc *ego tutus meo.*
Valeto Munde, nec mihi moleſtiam
Crees, ut antè, noxiam!

ODE CXLVIII. Hominum inferna deſpicientium & Superna reſpicientium.

S 2 „Gau-

„ *Gaudia ſunt Mundi (dubitasnè?) nefanda nefandi,* (*ram.*
„ *Vix durant horam, per modicamq́; mo-*

A*D Aſtra ſint ocelli*
Verſi pii popelli;
Poſſint ut hinc propelli
Nullo fragore belli!
Per aſpra JOVA *ſursùm*
Vult nos vocare rursùm,
Orci repellit Vrſum
Noſtrum regitquè curſum.
Hoſtis retundit auſa
Fit cladis undè pauſa,
Dispellit & nociva
Beatquè Pace *Divâ.*
Miſertus orbitatis
Fovet JEHOVA *gratìs*
Multos ſub hisce fatis
A Morte concitatis.
Mortalium labores
Vitam, ſtatuta, mores

Pro-

Probè JEHOVA *cernit*
Vaſros doloſquè ſternit.
Sint proïndè corda compta
Et pœnitere prompta
CHRISTUM *piè colentûm*
Vi FLAMINIS *calentûm.*
Salus Superna *cunctis*
Eſt abſoluta punctis:
Ergo quid ambigamus
Illam nec ambiamus?
Nos propter eſt reperta
Et Gratiâ referta,
Nec terminatur annis,
Nec lædit hanc Tyrannis.
Hanc appetamus usque,
Sic nos Bonus Piusquè
JEHOVA *ſoſpitabit*
Et ad Polos citabit.
Ibi fruemur AGNO,
Eiusquè Iure magno

Nitemur, absque luctu
Cum perpetiquè fructu. Amen!

ODE CXLIX. Pro DEI Gratiâ & Aſſiſtentiâ.

„*Ne ſedeas, ſed eas, quem* CHRISTI *vult ſibi ſiſti*
„*Crux Sacra, preſſuræ ſupponeq; brachia duræ,*
„*Certò perſuaſus nocituros nil tibi caſus.*

C*Ontra mille mali tela feracia*
Defendat DOMINI *me pia* Gratia,
Per gratam ſolidæ materiem Spei,
Diſturbans animi maceriem mei.
Poſt tot mæſtitiæ turbida nubila,
CHRISTUS *lætitiæ det Sacra iubila!*
Vt quâ Crux ſtimulis horruerat priùs,
Hâc ſurgat cumulis LUX *nova crebriùs:*

Spes

Spes quicunq; ſuas in Superis locat
Et CHRISTUM *dubiis rebus*
Herum *vocat,*
Is fati furias temnit identidem
Sinceram retinens, absque metu,
Fidem. *(rege*
Me JESU, *miſerum,* TE *precor, hic*
Unâ cum reliquo Chriſtiadum
Grege! *(agor,*
Sis praſtò, quoties per tenebras
Per Mundiquè vias difficiles
vagor.
Sub densâ tetricæ noctis imagine,
Mentem propitio NVMINE
ſuſtine; *(gi.*
TE *præſente Tuo* Pax *bona ſit Gre-*
Felices, quibus hoc das clypeo
tegi! *(ab hoſtibus,*
Propter, CHRISTE, *Tuum* Nomen
Multis, ſicut Oves, tundimur
ictibus, S 4 *Ob-*

Obiecti variis undique litibus:
Adſis ergò Tuis iam citò Cœtibus!
Noſtræ celſa manes laudis adorea,
Fac nobis igitur Pax *micet aurea;*
Et tranquilla Tuo ſit populo quies,
Dũ poſtrema ruit Iudicii dies! A.

ODE CL. Hominis erga DEVM grati, Eumquè ſequi parati.

„ *Sera nimis non eſt, modò ſit converſio vera.*

Q*Vòd me,* JEHOVA, *continenter aſſeris*
De tot periclis aſperis,
Totum, Tibi *me conſecrabo taliter*
A me requiris qualiter.
Succurre tantùm, meq́; Zelo præditum
Fac eſſe Cælo deditum.
Sub morte quumq́; cor ſtupeſcet morbidum
Et os rigeſcet torpidum,

Ad-

Adeſto JESV, TE *colenti tùm ſtatim*
Opis Tuæ dans affatim.
Piacla cuncta, quæ nocerent, expia,
Rectâ trahens ad TE *viâ!* Am.

ODE CLI. De Humanæ vitæ miſeriâ, de Divinâq; miſericordiâ.

„ *Linque Solum Moris, fax ſit tibi* CHRISTUS *Amoris,*
„ HUNC *celer absq; moris quære ſubindè* *(foris!*

HAEc *noſtra vita pluribus*
Conſumitur laboribus,
Crux, plangor, angor, indies
Nos turbat, & ſors inquies.
Libidines cum cædibus
In plurium ſunt ædibus,
Affinitas iniuriis
Se mactat atque iurgiis.
Friget Fides, Amor riget,
Mos pravus in Solo viget.

Quid reſtat? Orbis exitus:
Quod quisque pendat excitus,
En optio proponitur
Lux átque Crux relinquitur!
Vtram velis, catus vide
Promtá Fide, non deſide.
Sit Crux acerbior licèt,
Hanc CHRISTVS *aufert ilicèt:*
Ejus *beata* Gratia
Confert Piis ſolatia.
JEHOVA *noſtra Lux cluit,*
Ab Hoc *Salutis fons fluit:*
Is *omne crimen eluit*
Et à periclis eruit.
Huic *ſinguli confidite*
Et absque labe vivite,
Cælumquè ſemper quærite,
Nec tempus ullum perdite.
Quicunque namque ſerio
Superna *deſiderio*

Re-

Requirit, ille plùs ſapit
Quàm Regna Mundi qui capit.
O tempus illud aureum
Meum *videbo quum* DEVM,
Eius Thronumquè flammeum
Non arguentem me reum!
Huîc *cedet ingens Gratia*
Quòd grata det ſólatia,
Adeſtquè Se *timentibus*
Enter, potenter, Mentibus! Am.

ODE CLII. De Divinis beneficiis, & debitis noſtris officiis.

„ *Præcipit & recipit gratum* DEUS Ipſe *precatum,*
„ *Et quaſi Legatum tractat in Axe ra-* (*tum.*

QVi *tam benignè me tuetur, in* DEO
Ex corde totus gaudeo:
Is namque Solus, *quomodo, quando,*

Scit, apta res ſit uſui. (*ruunt,*
Momenta rerum temporis puncto
Inſtarquè fluminis fluunt:
Piis JEHOVA *turris eſt fortisſima,*
Faceſſe turba pesſima! (*ſuſpicit*
Nunquam cadit, DEI favor *quem*
Et ſublevandum ſuſcipit; (VS,
Crimen remittit omne ſupplici DE-
Sit quamlibet ſons & reus.
Huîc *ergò fidas,* Solus ILLE *de Sion*
Mali fugàbit Ilion.
Huîc *conſecratus eſto, verâ ſed Fide,*
Huîc *confitere providè,*
Non deſeret te, ne putes, nec puniet,
Dextrâ ſua ſed muniet:
Vt gratiarum des EI *coronidem*
Laudis perennis obſidem. Amen!

ODE CLIII. De Impiorum ſuppliciis, & Piorum ſuſpiriis.

„ *Fi-*

„ *Filia ceû Matri,* Cæleſti *Mens pia* PATRI
„ *Sic placet: at contrà mens ſcelerata jacet.*

Cùm ſorte blanda perfruuntur divites
Hereditatum gurgites
Fiunt Thraſones, in miſellos triſtibus
Degrandinantes vocibus.
Et ceû parùm ſit, quòd minis gravent Solum,
Auſu feruntur in Polum, (VM
Blaſphemiasq́; plurimas contra DE-
Ebuccinant, velut reum. (riùs
Impunè ſed vix! nam DEVS *quò ſe-*
Hoc tractat hos ſeveriùs. (um,
Hinc vis eorum territans fit ſomni-
Et riſus ingens omnium. (mine,
Felix, pio *quem* JOVA *format* Nu-
Dioquè *firmat* Lumine!
Nil huic nocebunt, ſed docebunt hunc truces

S 7 *Quas*

Quas ſæpè portat hic Cruces.
Supreme PASTOR, *à ſiniſtro me*
Dextra potenti protege! (*grege*
Vt comprehenſus in Tuis Ovilibus
A rebus abſim vilibus! Amen.

ODE CLIV. De Adventu D. N. JESV CHRISTI.

„CHRISTUS *in immundum quum venit ab Æthere Mundum,*
„ *Fortiter aſſiduas pertulit inſidias.*

JVbilum ſonemus
Cælico PARENTI,
Carmen intonemus
FILIVM *ferenti,*
Ob Salutis uſum
Omnibus recluſum,
Hûc quater *venire*
CHRISTVS *indicatur,*
(*Ne ſinat perire*
Pro quibus litatur;)

Car-

Carne, mente, morte,
Judiciquè ſorte.
Cur adeſſe primum
Suſtinetvè naſci?
Lex refert: ut imum
Servulum renaſci
Cogat expiando,
Gratiamquè dando.
Inſuper profeſſus,
Se Ducem *futurum,*
Si quis Huncce *preſſus*
Absque labe purum
Quærat, & ſequatur,
Ceû iubendo fatur:
Qua via praivi
Et modum reliqui,
Hunc tenete cuncti
Charitate iuncti,
Et Crucem feratis,
Hanc viam teratis.

Ad-

Advenit deinceps
In fidele pectus
Magnus Ille PRINCEPS,
Nonnihil refectus
Puritate mentis
Se DEVM *colentis*;
Hinc ait benignè:
Qui cupit Sodalem
Me videre dignè,
Mittat usque talem
In cor expiatum
Hoſpitiquè gratum.
Nempè gaudet eſſe
In Choro Bonorum,
Datquè quod neceſſe
Liberis eorum,
Præpotente pacto
Non ſemel peracto.
Tertiò *ſub aſpra*
Vult adeſſe morte,

Ve'

Vt Pios, ad Aſtra
A mala Cohorte
Transferat, benigno
More, SE*què digno;*
Ergò ſimus apti
Semper & parati,
Non ſopore capti
Vel mero gravati:
Scire-nam nequimus
Qua mora perimus.
Vltimò *redibit.*
In die ſupremo,
Quem *latere quibit*
Hoc in Orbe nemo,
Antra nam peribunt
Atque prateribunt.
Angeli ſequentur
Judicem *ſeverum,*
Mox & exſequentur
Exſequenda rerum,

Corruetquè Mundus
Funditùs rotundus.
Hæc dies timoris
Et potentis iræ,
Hæc dies favoris
Gratiaquè miræ:
Quæ Pios iuvabit,
Impios fugabit.
Ergò præparemur
Sordibus carentes,
Et DEO *probemur*
Ritè pœnitentes;
Fas ſit hinc ut ire
Ac Polos ſubire! Amen.

ODE CLV. De myſterii pleniſſimâ CHRISTI Incarnatione.

„*Quanta* DEI *Virtus, Sapientia quanta* Tonantis!
„*Dicere nulla poteſt* hanc *Vatis lingua ſonantis.*

Na-

N *Ata* Mens *Cælo ſuperno*
Quam DEVS *vultu paterno*
Excipit, fovet, tuetur:
Gratiis ut anſa detur.
I *nter Orbis hasce clades*
Num pruinis illa trades
Quæ tibi JEHOVA *fecit,*
Cùm Salutis *orſa iecit?*
C *ongruenter his diebus*
Sunt moleſtis absque rebus
Singulis hæc cogitanda,
Lausq́; CHRISTO *duplicanda.*
O *ſtupendus* ille Partus
Quo DEVS *clientis artus*
Sumſit Incarnatione
Cumquè nobis manſione!
L *ex premebat æqua terras*
Ob nefas Adæquè gerras,
Præparans pœnas moleſtas,
Tartari ſedesquè mæſtas:

At

At DEVS *miſertus Orbis,*
Liberavit huncce morbis;
FILIVM*què ſpontè miſit,*
Qui *nefas illud remiſit.*

Unicus REDEMTOR Ille
Suggerebat lytra mille,
Poſſet ut prodeſſe Mundo
In lacu merſo profundo.

S*ed nihil magis placebat*
Cælico PATRI, *iacebat*
In ſinu quàm cùm Puellæ
JESVS *in recente pelle.*

Hujus *Incarnationem*
Et Polo deſcenſionem
Nemo ſat dignè ſonabit,
Donec Orbis iſte ſtabit.

E *Sacris tamen Prophetis*
Vera prædicarè ſuetis
Nunciata quæ leguntur
Congruenter hûc feruntur.

Lan-

L*anguor occupavit* Illum,
Vt doceret, imbecillum
Velle ſe levare ſervum
Non parùm licèt protervum.
F*actus eſt* Homo *ſtupendo*
More, Virginem tuendo
SPIRITûs Almi *valore*,
Vt maneret in pudore.
R-os *velut* Vellus *rigabat,*
Moxquè ſiccum complicabat:
Virginem *ſic* JOVA *fovit*
Ad Sacrum partumq́; movit.
I*am retuſa* Virga Jeſſe
Noluit piis obeſſe,
Quin daret nucem *beatam*
Ad Salutem præparatam.
C*ales illa* nux *figuras*
Pandit, uſui futuras,
Si DEI *quis aptet artem*
Dogmatis Sacriquè partem.

Hic

Hic notate quisque florem
Frondis imprimis valorem,
Vndè nux *reſultat iſta*
Absque carnis labe miſta.
Iſraëlis Liberator
Gentium ſit Imperator;
E rubo *ſtupendus* ignis
Promicat, ſcatetquè ſignis.
Vncte SPIRITV Supremo
Nos in hac preſſos Eremo
Liberare, quaſo, perge
Crimen horridumquè terge!
Splendor *Enthei nitoris*
Atque depulſor nigroris
Corde ſub noſtro pateſce,
Indies magisquè creſce.
Ingruunt pericla multa,
O fac eſſe corda culta
FLAMINIS divi *favore,*
Dogmatis Tuiquè rore.

Col-

C*olligas agmen fidele,*
Corrigasquè, deinde dele
Quæ patramus indecenter,
Impudenter ac frequenter.
Tu PATER Bonus *vocaris*
Plura donans quàm rogaris,
Tu *potes iam iam venire,*
Nosquè recreare mirè.
U*na vox hæc eſt piorum,*
Vt memor promiſſionum
Iam velis venire Cælo
Cum PATRIS *potente Zelo.*
S*in moreris, adde vires,*
Ad ſcopumquè nos regyres,
Ipſe *quem priùs ſubiſti,*
Quando nobiſcum fuiſti! Am.

ODE CLVI. De fructibus Incarnationis DOMINI.

„ De quo per Vatem dederas promiſſa vetuſtum, (guſtum!
„ Meſſiæ Regni mihi da, PATER Optime,

RAdix renata Jeſſe,
Nobis Tuo neceſſe
Nunc eſt Favoris Igne,
Quem conferas benignè!
Tu mentis alpha Diæ,
Tu Filius Mariæ,
Icon DEIquè PATRIS
Eccleſiæquè Matris.
Tu Semen entheatum
Es illud & beatum,
Terens caput Colubri
Potentia ſalubri:
Tu noſter Altor audis,
Tuæ cupisquè laudis
Per nos ut exſtet auſus
Solenniorquè plauſus.
Tu Præſul atque Flamen
Nobis parans levamen,

Au-

Aufers malignitatem
Affers benignitatem.
Redemtione *mira*
Et Paſſione *dira*
Nos liberas ab Hoſte
Gravi Stygisquè poſte.
Tu *claudis ora Regum,*
Ne murmurando ſecum
Plebem trahant ſupinam
Ad perpetem ruinam.
Vexilla cum trophæo,
Victo Stygis Typhæo,
Potenter Axe mittis,
Fractis mali ſagittis.
O fac id & deinceps
Poli Soliquè Princeps,
Ut TE *ſonare gratus*
Sit quilibet paratus!
Conniveas patratis
Nos liberesquè gratis;

TE *læſimus furenter,*
Ferventer & frequenter!
Tu *nos* Tuo Cruore,
FLATûs *Sacriquè rore*
Perfunde, Tu *foveto,*
Et ad Bonum moveto.
Tu *fulcias cadentes,*
Et augeas carentes
Splendore gratioſo,
Decore copioſo.
Frater *memento Fratrum,*
Tendant ut ad Theatrum;
Vbi caterva Patrum
Fideliumquè Matrum!
Vbi canunt quieti
DEI *favore freti,*
Duráquè ſorte functi
Et Charitate iuncti.
Ad tam beata feſta
Et nos venire præſta,

O CHRI-

O CHRISTE, *dans levamen*
Vita perennis. Amen!

ODE CLXVII. In Largam Veſperam, Juventuti Honeſtæ ac Modeſtæ inprimis proſperam.

„ *Larga* DEI *bonitas largos queq; nos jubet eſſe,*
„ *Et dare pauperibus, quod cernimus usq; neceſſe.*

HAEc Dies *donis dicata,*
Eſt decenter nominata
Larga *largis* Veſpera. *Iö, iö!*
Namque Noctem *Luce plenam*
Antecedit, quâ ſerenam
Gratiam *nacti ſumus. Alleluia.*
Quâ Bonus SATOR Polorum
Maximè Donum *decorum*
Omnibus nobis dedit. Iö, iö!
Quod quidem ſi non dediſſet
Totus hic Mundus periſſet

Nosquè cunčti funditùs. Alleluia,
Sed quòd hoc DONUM *tenemus,*
Laus DEO! *non iam timemus*
Quod manebat nos malum, Iö, iö!
Eſt in Arce nubis Unus
Qui *gerit nunc tale Munus,*
Salvet ut nos credulos. Alleluia.
Vincit illud dona mille,
JESUS *eſt* Salvator Ille
Ipſe Filius DEI. *! Iö, iö*
Ille fons *rerum perennis*
Miſſus à DEO, *Supernis*
Venit hùc de Sedibus. Alleluia.
Ille *ſumtâ carne noſtrâ*
Fregit obſtinata roſtra
Dæmonis nefarii. Iö, iö!
Qui dolum nobis tetendit,
Ipſe trux altâ pependit
Hoſtis Aman in trabe. Alleluia.
Iamquè vitæ reſtituti

Ape-

A perenni morte tuti
Ac redemti, plaudimus, Iö, iö!
Plaudimus DEO *favente,*
Angue perfido fremente
Cui dolent hæc gaudia. *Alleluia.*
Et quis hic gaudere nollet,
Integrâ qui mente pollet?
Quis pius non plauderet? Iö, iö!
Angeli *lætantur* ipſi,
Quòd ſub hac nobis eclipſi
SOL *Salutis eſt datus; Alleluia.*
Hunc *canentes ſubſtiterunt,*
Nunciumquè finierunt
Clauſulâ pulcherrimâ. Iö, iö!
Pulchrius quid hisce verbis?
„Laus DEO, Pax *haud ſuperbis*
„ *Sed piis mortalibus! Alleluia.*
Gratulemur ergò nobis,
CONDITOR *totius Orbis*
Se *dat* Ipſum *ſingulis, Iö, iö!*

Gaudeamus occinentes,
Voce lætâ proferentes
Liberale gaudium Alleluia.
Eia nunc Boni Sodales,
Simus omnes liberales
Chriſtiani mutuò. Iö, iö!
Heſteræ cum Mardochæo
Læta ſortis à trophæo
Excitatur largitas. Alleluia.
Hos ſequi non indecorum,
Namque longè plus Bonorum
CHRISTUS *in nos contulit. Iö, iö!*
Cauſa noſtræ largitatis
Excitetur à paratis
Gaudiis perennibus. Alleluia.
JESUS Ille fons Salutis
Talibus donis ſtatutis
Hæc paravit gaudia. Iö, iö!
Hæc in Illo fonte *puro*
Æviternùm profuturo

Pos-

Poſſidemus ſcrinio. Alleluia.
Poſſidemus? ergò demus
Et Piis communicemus
Dona CHRISTI *primitùs. Iô, iô!*
Poſt, pium morem *ſequamur*
Proximisquè largiamur
Dona de noſtris bonis. Alleluia.
Corde verò liberali
Hoc agamus, atque tali
Quale poſtulat DEUS. *Iô, iô!*
Eia cuncti Literati,
Huicce ſanctæ Largitati
Impigri ſubſcribite! Alleluia.
Sitis in noſtros Scholares
Haud gravatim liberales,
Eſſe quales vult DEUS. *Iô, iô!*
Sic JEHOVA Liberalis,
Comprobatur eſſe qualis,
Mille reddet munera. Alleluia.
Reddet & PACEM petitam,

Pro-

Protrahet Vobis*què vitam*
Ob ſalutem Patriæ. *Iö, iö!*

Ode CLXVIII. De plurimùm mirabili, ac per omnem æternitatem memorabili Nativitate D.N. Iesu Christi, Salvatoris Opt. Max.

„ *Quæ* Deus *arcano quondam ſub pectore fovit,*
„ *Quis non de* Christo *myſteria maxima novit?*

Cor fidele gaude,
Gratulando plaude,
Naſcitur Redemtor
Mortis Interemtor!
Eſt ſceleſtus
Cuî Dies *non* Iſte *feſtus!*

Angeli per arva
Perquè rura parva
Iubilant ovantes
Carmen innovantes.

Eſt

Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

R*es ſtupenda facta*
Virgo *flore pacta*
Fit Parens PARENTIS
Termino carentis.
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

O*mnium* Creator
Summus Imperator
Naſcitur puſillus,
Vagit imbecillus.
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

L*egis en* Magiſter
Fit levis Miniſter,
Eſuritquè Panis
Spretus à profanis.
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

Umbra Lumen *edit,*
Canna fracta cedit
Lilio *virenti*
Et Roſæ *nitenti:*
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

Stella *ſit piarum*
Dux, Comes viarum,
Hæc Magos beatos
Reddit, atque gratos:
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

E*cce, dona pendunt*
Dexteraſquè tendunt:
Myrrha, Thus, *&* Aurum,
Fert ab Axe Laurum:
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*

L*ac* DEO *Puella*
Dat venuſta, bella,

Et

Et ſovet Parentem
Filiis faventem.
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*
Servulus ſit Ille,
Quem per Aſtra, mille
Concinunt Cohortes
Angelique fortes.
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*
Negligantur ergò
Si qua tela tergo
Imminent, Salute
Subſequente tutè:
Eſt ſceleſtus
Cui Dies *non* iſte *feſtus!*
Intonate Pſalmum
Vt ſonetis Almum
Cælitum Parentem
Termino carentem!

Eſt ſceleſtus
Cuî Dies *non* iſte *feſtus!*
Certa ſic pateſcet
Et ſub Axe creſcet
PAX, *timore pulſo*
Funditùs revulſo!
Eſt ſceleſtus
Cuî Dies *non* iſte *feſtus!*

ODE CLIX. De Eâdem Solennitate.

„ *Res alii jactent, & Saturnalia tractent,*
„ *Nos lactent* CHRISTI Natalia *tempore triſti.*

N*Atus eſt* Puellulus
Blandus, integellulus!
Virgo *Mater audit*
Cæles Aula *plaudit.*
Iubilate ſinguli,
Cum Viris Puelluli;
Natus eſt Potentis

FI-

FILIUS PARENTIS!
Natus eſt HOMO-DEUS,
Liberetur ut reus;
Ad Polum revectus
Ob fidele pectus.
Spina profert Lilium,
JOVA *præbet* Filium
Pro Salute *certâ*
Hoc modo repertâ.
Stella *Sole fulgurat,*
Sol *Salute purpurat;*
Lux *fugat nigrorem,*
Luna *dat nitorem.*
Virgo *fit puerpera,*
Angeli *per Æthera*
Concinunt frequentes
Gaudium ferentes.
Gaudium *nos id ferit,*
Væ, volens ſi quis perit!
Omnibus tenellus

Hic *datur* Púellus.
Virga Jeſſæ *germinat*,
JOVA *pœnam terminat.*
Iubilate læti
Hac Salute *freti*!
Qui *creàvit ſingula*
Hunc *parit Virguncula:*
Paſtor Hunc *adorat*,
Ditis Aula plorat.
Trux Satan proſternitur,
PAX *in Orbe cernitur*
Cordium piorum
Spesquè ſingulorum.
PACIS hujus *compotes*
Fac brevì nos, nam potès
O PUER benigne,
Hoc decore digne! Amen.

ODE CLX, De Eâdem.

„PRIN-

,, PRINCIPE *ſub* PACIS, PAX *alma refloruit Oris*
,, *Omnibus, oſtendens* DIVINI *ſigna* FAVORIS:
,, *O noſtris etiam, fac* IOVA, *refloreat horis!*

Cùm noſtra natus ora CHRISTUS *induit,*
Tunc PAX *per Orbem floruit:*
Ex enſibus falces coloni cuderant,
Vmbone terras foderant.
Non agna tum lupos, lupi nec aſpera
Canum timebant vulnera.
Hæc mira PAX *quidem videtur triſtibus*
Poſt bella tot, mortalibus.
Quantò ſed Illa *maior eſt* PAX altera
Quæ rupta ſancit fœdera?
Hæc rupit Adam: ſed DEUS *Cæleſtibus*
Diſrupta iunxit artibus.
Demiſit hûc NATUM Suum, Quo *carius*
Quo *nil habebat dulcius.*
Hoc *ergò miſſo* FILIO, *nos aurea*
Pacis *revinxit* Laurea.

Dæ-

Damon ſed armat ſolus in nos bellica
Domi foriſquè claſſica.
Aſt, ut volet, furore plenus ſæviat,
Styx omnis illi ſerviat!
Fulti Tuâ, *nos*, Pace, CHRISTE, *bar-*
Horreſcimus nil Tartara. (*bara*
Hâc nos tuere; ſic Tibi *piis pias*
Reddemus hymnis gratias! Am.

ODE CLXI. De Eâdem.

„*Sana Fides quibus eſt* Divinaquè Gratia
præſtò, (*ſto!*
„*Concelebrent plauſu* CHRISTI Natalia *fe-*

GNATO DEI *nunc ô pias*
Reddamus omnes gratias,
Qui carne *ſumtâ triſtibus*
Nos liberavit hoſtibus.
Hunc *nos oportet calicis*
Per Aſtra ferre canticis,
Quæ præcinebat dulcibus
Grex Angelorum vocibus:
Sit

Sit Laus *in excelſis* DEO,
Sit Pax *in Orbe terreo,*
Dulcis Voluntas *omnibus*
Sit Te, Puer,*colentibus*!
Hac Pace *nil eſt dignius,*
Hymnis Tuis nil ſuavius;
His noſtra, fac, TE *pectora*
Per cuncta laudent tempora! A.

ODE CLXII. De Eâdem celebritate.

„ *Si non tacet Cæleſtium*
„ *Cœtus chorusquè teſtium:*
„ *Nec nos tacere convenit*
„ *Ob quos* REDEMTOR *advenit.*

E*Cquisnam* PUER *eſt, fatere quæſo,* (ſo?
Quem *Virgo tulit absq; flore la-*
Summi FILIUS *eſt* TONANTIS, Ille
Quem *ſuſpiria quæſiêre mille.*
Eſt JESUS *populi ſui* Redemtor,
Et

Et clemens ſcelerum maliquè demtor. *(nam*
In noſtram dedit Hunc JEHOVA *ſce-*
In noſtram dedit Hunc JEHOVA *ſtrenam,* *(pœnam*
In noſtram dedit Hunc JEHOVA
In noſtram dedit Hunc JEHOVA *cœnam.*
Hunc *ergò Pluviæ, Niveſq; molles,*
Campi iugera, Prata, Teſqua, Colles,
Et quodvis Nemus, arduiq; Montes,
Nec-non Flumina, limpidiquè Fontes,
Ac Cæli Volucres, Feræq; cunctæ,
Herbarum decus, Arboresquè iunctæ; *(creſcit*
Et quicquid per Aquas Humumquè
A Solisquè caloribus tepeſcit:
Immò quicquid ubiq; vel movetur,
Vel

Vel quicquid rationibus monetur, (*tes*
Quales ſunt Hominum ſub Axe Men-
JOVÆ *divite* Gratiâ *fruentes,*
Hunc *laudent, celebrent, rogentquè latè,*
Vt gratâ recreentur hîc quieté! A.

ODE CLXIII. De Eâdem.

„ *Miſerat, ut quondam miſeris promiſerat, Axe* (*lixè.*
„ IOVA Suum Gnatum, Qui *tollat crimina*
„ Huîc *fas ſit laudes de fibris promere Cordis,*
„ *Fas gratas grates Cithara perſolvere Chordis.*

COmmercium *mirabile*
Nec Angelis effabile,
HOMO-DEUS *comparuit*
Carnemquè Plaſtes *induit:*
Quam ſumſerat de Virgine
Sacro *favente* FLAMINE,
Citra virilem copulam

Iux-

Iuxta JEHOVÆ *voculam.*
En iuncta ſummis infima,
Longèque diverſiſſima
Vnita ſunt; GNATO DEI
Incorporato flammei.
Demiſſus Orbi mortuo
Amore MESSIAS *ſuo*
Amiſſa quæque ſedulò
Quæſivit hoc in ſæculo.
Res mira! Summus (*en*) HERUS
Fit inquilinus hic merus;
Sors Hunc *ferox exaſperat,*
Vt Patriæ *nos aſſerat.*
Quod primus Adam perdidit,
Hoc iam ſecundus reddidit,
In Atriis Cæleſtibus
Locum parans fidelibus.
Eſt Pax *homullis cum* DEO,
Vernans in Orbe terreo,
Quam ſanxit Ille Filio

Na-

Nobis dato, ceû Lilio!
Is *noſter eſt* Immanuel,
Vt nunciavit Gabriel:
Paſtor ſit Idem, *ſitquè Rex,*
Cuſtos, Rédemtor, Pontifex!
Vt Ejus *aucti munere*
Cælos petamus funere,
Iuncti beatis Angelis
In ſæculorum ſæculis;
DEO*què demus gloriam*
Per cantuum Symphoniam,
Triſagion *Sacrum ſonis*
Reciprocantes conſonis. Amen!

ODE CLXIV. PUERILIS, de Eâdem Feſtivitate.

„ *Metra ferant* Puero *pueri puerilia* CHRISTO, (*Iſto.*
„ *Nil offerre queunt nam munere gratiùs*

FEſta lux *adeſt, tenelli*
Dulcè cantemus puelli,

Na-

Natus *eſt nobis* Puellus,
Filius datus*què bellus*
JESULUS!
En! Caro Verbum *Supernum*
Ac Homo fit *æviternum*
NUMEN, *in nimis* tenello,
Parvulo, *ſatisquè* bello
JESULO.
Hunc *Domo recepta vili*
Edidit Virgo *bovili*
Absque tædio, tenellum,
Candidum, *nimisquè* bellum
JESULUM.
Aſpero fæno locatum
Flet Parens *complexa* Gnatum,
Oſculatur & tenellum,
Melleum, *nimisquè* bellum
JESULUM.
Rem ſtupendam! Major *Orbe*,
Major *Aſtris, Matris Orbæ*

Ven-

Ventre prodiit tenellus,
Parvulus,*nimiſquè* bellus:
JESVLVS.
Cujus *eſt Solum Poluſquè*
Eſurit, flet, alget uſque,
Exulatquè (*proh!*) tenellus
Et fugit necem Puellus
JESVLVS.
Gnate Summi PATRIS *Vne*,
En Tibi *præſepe cunæ*,
Aula caula! proh, tenelle
Dulcior quovisque melle
JESVLE!
Pungit hirtum membra *fænum*,
Non Caput *plumis amænum*
Incubat Tuum, tenelle
Nec Tuæ Matris Puellæ
JESVLE!
Cuncta Qui *veſtis, rigeſcis*,
Et malis ſubeſſe ſueſcis,

Non

Non fovent pelles tenellum,
Nec focus iuvat miſellum
JESVLVM.
Nemo ſed Te *curet, eſto!*
Quæ canant Te *caſtra præſtò*
Sunt Polorum, REX *Beate*,
Omnibus Sanctisquè grate
JESVLE!
Abſit ignis, Aſtra lucent,
Hûc *Magos quin* juſſa *ducent*
Optimi *Tui* PARENTIS,
Qui levent Cunas egentis
JESVLE!
Sævit Herodes, necatquè
Parvulos! Te *ſervat, atque*
Nutrit AEgyptus tenellum
Matre cum Tuâ miſellum
JESVLVM.
Hæc Tibi *paſſo tenelli*
Pangimus carmen puelli;

Nem-

Nempè parvuli tenello
Et puſilluli puſillo
JESVLO:
Tu *facis nos eſſe tutos*
Ad Tuas cunas *volutos,*
Nempè parvulos tenellus
Et puſillulos puſillus
JESVLVS.
Curre nobiſcum, rogamus,
Dulcè ride, ne gemamus;
Nam gemente Te *pavemus,*
Hoſtibus nec prævalemus
JESVLE!
Funde carmen, mitte fletum,
Vt Tibi *meliſma lætum*
Nos pari demus valore
SPIRITûs *pleni calore*
IESVLE!
Nos Tui, Tu *noſter eſto!*
Vis ſit auri nulla praſtò,

Tu *plues* opes Salutis
Sub periclis conſtitutis,
IESVLE!
Inſulis Tu *plus beatis*,
Major *omnibus creatis*,
Tu potentior *Monarchis*
Sanctior*què Patriarchis*,
JESULE!
Tu *regis Reges cruentos*
Edomasquè turbulentos,
Te *tremit Satan ſceleſtus*
Ob Tuas cunas*què mœſtus*,
JESULE!
Tu DEUS *Paterculusquè*
Noſter Es *Fraterculusquè:*
Tu *foves nos atque ducis*,
Dona das Tuæ*què* Lucis
JESULE!
Nemo nos donet canentes,
Poſcimus nil, posſidentes

Te Bonũ, *quondam* miſellum,
Sed magis non imbecillum
JESVLVM!
Pace Tu *potes beare*,
Et malis cunctis levare:
Ergò fac id iam, rogamus,
Sub Tuo favore ſtamus,
JESVLE!
Cedat aureo Pudori
Spurca fax, moresquè mori,
Vita ſancta, iuſta, caſta
Bella reprimat nefaſta,
JESVLE!
In tenebris pande lumen,
Ne Tuum *ſublime* Numen
Neſciatur, ſed probetur,
Veritas*què prorogetur,*
JESVLE!
Sic Tuâ Salute *tuti*
Et malo gravi ſoluti,
V 2 *Abs.*

Abſque fraude ſerviemus,
Et triumphos erigemus,
IESULE!
Hæc Tibi *cantata nato*
Sume, noſquè collocato
In Tui *Domo* PARENTIS
Omnibus nobis faventis,
IESVLE.
Compotes fac nos honorum
Et perennium bonorum,
Quæ fidelibus parantur
Omnibus gratisquè dantur,
IESVLE! Amen.

ODE CLXV. De NATALI DOMINI.

Ex Germ.B.Luth. Gelobet ſeyſt du/Jeſu Chriſt/ꝛc.

„ *Queis* Homo *natus erat, notus ſimul eſſe valebat*
„ CHRISTUS, *& ut naſci ſic noſci cuiq; volebat.*

IE-

JESV Tibi *ſit gloria*
Quòd è Puellâ Regiâ
Prodiveris Homo-DEVS
Hinc plaudit Axis Entheus, Kyr.
RECTORIS *æterni* Decus
Temptum iacet iuxta pecus:
In carne noſtrâ parvulâ
Boni renidet arcula. Kyrieleiſ.
Qui *neſcit ullum terminum*
Matris piæ replet ſinum,
Factus Puer tenellulus
Rerum DYNASTA *primulus. Kyr.*
Lux *avitatis admeat,*
Auctu Solum novo beat;
Noctis dat ignem curſui
Artusquè nos facit Sui. *Kyrieleiſ.*
Verus IEHOVÆ FILIVS
Orbi fit Hoſpes; anxius
Nos erutos ignobili
Ditare ſorte nobili. Kyrieleiſ.

Humum reviſit indigus,
Nos ut, Salutis prodigus,
Poli bearet Arcibus
Et Angelorum dotibus. Kyrieleiſ.
Id quando Nobis præſtitit,
Amore clarus *exſtitit:*
Hinc tota gaudet Chriſtias,
ILLI*què fundit gratias. Kyrieleiſ.*

ODE CLXVI. De Eodem.

„ *Naſcitur in terris Cælorum Gloria* IESUS,
„ *Vt noſter ſit* Dux, *ſit Lux, ſit Paſtor & eſus.*

JESVM *ſonemus invicem*
Natum Mariâ Vindicem,
Iuxta Tonantis *Indicem.*
Quem *Gabriel prædixerat,*
En, ut ſuos nunc liberat,
Iramquè PATRIS *temperat!*
Quis vidit unquam talia?
Parit Parentem *Filia,*
Ceû ſpina cùm fert lilia.

Bea-

Beatus AVTOR Sæculi
Suſcepit artus ſervuli,
Vtcunque pravi, parvuli.
Qui Regna confert *Regibus*
Supinus in præſepibus,
Multis iacet cum fletibus.
Cuî *paret AEther ſtellifer*
Fit Gentium Vexillifer;
Et noctis atræ Lucifer.
Verbum *tacet cùm naſcitur,*
Cunis Gigas *compeſcitur,*
Et lacte Panis *veſcitur.*
Fæno revinctus eiulat
Tandemquè pulſus exulat;
Vt perditis ſic conſulat.
Cæleſtium ſtupet Chorus
Cælo ruit quòd Phoſphorus,
Quo Virginis *nitet* torus.
Paſtor Supremus *naſcitur*
Paſtoribusquè noſcitur,

Et ad Salutem *poſcitur.*
Stellam ſequuntur (en!) Magi,
DEO*què ſe ſciùnt agi,*
Nec ſunt ut anteà vagi.
Regi *velut dant aurea*
Dant dona Myſtæ *thurea,*
Et mox humando *myrrhea.*
Qui Legis Autor *dicitur*
Sub Lege circumciditur,
Paſſimquè circumducitur.
En! fons *in amne tingitur*
Ruptorquè Legis fingitur,
Nec propter iſta ringitur:
Cuî *lauta ſedes in Polo,*
Hoc alget & flet in Solo!
Mundiquè ſubiacet dolo.
O Munde durus es lapis,
Hac parte quòd nihil ſapis,
Myſterium *nec* id *capis!*
Quòd forſan abiectus iacet

Ob

Ob id minùs tibi placet,
Vel vocis Autor *quòd tacet?*
At, quò ſit Ille *vilior*
Hòc debet eſſe charior,
Longèquè gratioſior.
Quòd friget Is, *friget tibi,*
Tibi flet, indiget cibi;
Tibi laborat, non Sibi.
Lateris ergò tam pio
Te recreans Solatio:
Faceſſat oſcitatio!
Procul recedant nubila,
Sint grata præſtò iubila,
Surſum volet precum pila.
PATRI *Melos ſit Muſicum,*
Quòd FILIVM *dat* Vnicum,
Metumquè pellit claſſicum!
GNATO *ſit, absque crimine*
Qui *natus eſt de* Virgine,
Laus perpeti conamine!

Honor ſit Almo PNEVMATI,
Quòd Muneris *nobis dati*
Sit Fautor *&* Boni *ſtati.*
Precemur inſuper DEVM,
Ne puniat gregem reum,
Det Sæculum ſed aureum!
Pacem beatam *conferat:*
Hoſtes ſuperbos conterat,
Semen *Sui* Verbi *ſerat:*
Vt Veritate *præditi*
Piaquè Vitæ redditi
Lætemur Aſtris inſiti! Amen.

ODE CLXVII. De Panopliâ Chriſtianorum, quâ quilibet armari & animari debet circà Natalem CHRISTI.

„ *Non tantùm naſci, noſci quoq;* CHRISTE *volebas,*
„ *Vt fieres notus queîs Homo natus eras.*

Qui-

QVicunque *calcat* orbitam,
Salutis, *arctis percitam*
Laboribus, convitiis,
Curis amaris, noxiis,
Nullo manet tutus loco,
Caret domo, caret foco;
Vexatur ægritudine,
Non absque mæſtitudine.
Obnoxius ferocibus
Vivit peroſus Hoſtibus;
Mundus, Caro, Satan *niger*
Fremit, premitquè, non piger.
Mundus *ſceleſtus officit,*
Cordisquè fibras afficit
Mortalium vertigine,
Haud irrito conamine.
Verbis ineſcat Pectora,
Crudeliterquè corpora
Arctis catenis illigat,
Pœnas ferox ut exigat.

Nunc pollicetur atria
Quibus ſuperbit Patria;
Nunc mille promittit boves,
Et centies plures oves.
Nunc alta monſtrat mœnia,
Nunc Dignitatum munia:
Nunc ampla pandit flumina
Altèquè ſtructa limina.
Promittit hæc colentibus,
Morem ſibi gerentibus;
Vel quicquid Orbis ambitu
Suoquè continet ſitu.
Alter *ſed* Hoſtis *perditus*
Furore cæco percitus
Voluptuoſis caſſibus
Abundat, & pellacibus.
Nam cùm videt mortalium
Decepta membra cordium,
Æſtus vomit crudeliter
Iacitquè clades fortiter,

Quos

Quos Mundus *ægrè decipit,*
Hos Carnis *ardor excipit*
Paſſim gravatquè, noxiis
Mentes ineſcans gaudiis.
Blanditur (heû!) mendacibus
Modis, ſibi fidentibus:
Trahit Puellarem Chorum,
Vexat Maritalem Torum.
Viros ineſcat acriter,
Capit, rapit fallaciter,
Conatibus nefariis
Invitat, ut bellariis.
Amoribus mox inficit,
Vel per procos interficit;
Ad Tartarum quo ſic malis
Trahat peremtos ſcandalis.
Inuſitatis Virginum
Crepundiis mulcet ſinum;
Et fata reddit peſſima,
Dum pollicetur optima.

Sic ſæpè Coniuges premit,
Vterque dum Sortem gemit,
Monſtrans Scelus nefarium
Legi Sacræ *contrarium:*
Vt quisque paſſim ſemitam
DEI Potentis *irritam*
Putet, Draconis & vias
Vltrò ſequatur impias.
Tales ruunt ad Inferos,
Vbi furenter efferos
Necabit Ignis flebilis,
Nullis aquis delebilis.
Nam quid Gomorrhæ *mœnia*
Everterat ſolemnia?
Quid rura, prata funditùs
Flammis adactis Cælitùs?
Mundi quòd atris casſibus
Decepta, ſeſe caſibus
Involverit minacibus
Verbisquè pertinacibus;

Car-

Carniſquè quòd lubens viam
Secuta ſit Gens inviam,
Et imminentis irritam
Fecit Salutis orbitam.
Poſtremus Hoſtis *fortiùs*
Decertat & ferociùs,
Qui mille tela volvere,
Nodoſquè novit ſolvere.
Cùm cernit obvium reum
Mundum colentem ferreum,
Et prurientis limina
Carnis ſequi ceû Numina,
Huic compedes mox iniicit,
Mentiſquè motus inſpicit,
Enerve corpus ut premat,
Contràquè proximos fremat.
Quos Mundus *atrox decipit*
Caro*què trux intercipit,*
Satan *eos interficit;*
Maliſ priùs ſed inficit.

Nam

Nam circuit velut Leo,
Illudat ut Summo DEO,
Ejus*què membris ſingulis*
CHRISTO *dicatis ſervulis;*
Hac illa tecta pervolat,
Ne Veritatem *Gens colat,*
Sed ſe ſequatur indidem
Sacram*què deſerat* Fidem.
Inventa miris fraudibus
Exercet, & furoribus
Crudeliter ſuis ſecat,
Diſſecta fortiter necat.
In tam gravi discrimine
Et arduo certamine,
Hoſti quis irâ percito
Reſiſtet auſu concito?
Eheû! Satan *ſævit niger,*
Mundus *furitquè corniger,*
Et Carnis *ingruunt minæ*
Damnabili conamine!

Aver-

Avertet hosce quis *dolos*,
Orci quis *eruet tholos?*
Quis Carnis *impetum feret*,
Mundo*què frenos ingeret?*
Vel nemo, vel qui *tradidit*
Nobisquè SE *concredidit.*
Quis Ille? IESVS *eſt* Herus,
Quem *Grex tremiſcit Inferus.*
Hic *par* Suo PATRI DEO
Et FLAMINI *par* Entheo
Ad liberandum nos venit
Nobisquè lapſis ſubvenit.
Huîc *ſupplicemur obvii*
Velis remotis otiis;
Non reſpuet preces pias
Fiduciaquè copias.
Ergò PVELLE *bellule*,
O nate parve IESVLE
Tenellulâ de Virgine,
Tuo *iuva nos* Numine!

Sis

Sis Pharmacum labantium
Hoc in dolore, mentium!
Nos libera de faucibus
Ac hoſtium furoribus!
Repullulans ô Surcule!
O Iſai Ramuſcule!
O Germen! *ô* Stirps *aurea*!
O Pacis *alma* Laurea!
O ſuavis, ô tenellule
Nobisquè nate IESVLE,
Sis Altor, Vltor, Arbiter,
Ad Aſtra ſis nobis iter!
Ardens Rubus Tu *parvule*
Es *in tenebris* IESVLE;
Tu Vellus *(heû mirabile*!)
Es *illud immeabile*.
Tu Samgar Es *fortisſimus*,
Leo*què praſtantisſimus*,
Mors, Orcus, Orbis, proſpero
Vni Tibi *cedunt* Hero.

Qua-

Quare Puelle *Blandule*
O nate parve IESVLE
Sis noſter, & Pios rege
Quos cernis è Tuo *Grege*.
Totos Tibi *nos tradimus*
Ad TE*què rectâ tendimus;*
Tu *nos bea, nos proſpera*
Mundi ſub atrâ veſperâ.
Vos eia! vos Puelluli,
Viri, Senesquè ſinguli,
Vos blandulæ Puellulæ,
Vos Fæminæ venuſtulæ,
Nunc, quæſo, *mecum* JESULUM
Puellulum *pumillulum*,
Læto ſonate carmine,
Sueto repulſo crimine.
En! iam datur Peluſii
Abire clauſtris Cluſiis;
Per Mortis æquor ſit via
Ad Aſtra Cæli pervia.

Per

Per JESULI Puelluli
Cunas videmus ſinguli;
Nos liberos Cæleſtibus
Vacare poſſe Cœtibus.
O ergò cuncti quos Salus
Iuvat repertá, *nec palus*
Inferna terret, pſallitę,
Latâquè mente dicitę:
Salve Puelle blandulę,
Salve tenelle JESULE!
O dulcis, ô venuſtulę
O nate parve JESULE!
Puelle *Mellitiſſimę,*
Servator *optatiſſimę,*
Salve Poli *beata* Lux!
Salve Soli *benigne* Dux!
Cunas *Tuas ô da piè*
Ut concinamus hâc dię;
Hoc donec erepti Solo
Tibi *canamus in Polo!* Amen.

ODE

ODE CLXVIII. De Calamitate Chriſtianorum Septentrionalium,& ejus cauſis; ſub Anni Veteris exodium, & Novi exordium decantanda.

„*Auxilii munus* qui *confert, eſt* DEUS *Unus*
„MESSIAS *dictus, per* quem *fit trux Draco Victus.*

*T*Angunt *& angunt mille moleſtiæ*
CHRISTI *Fideles, dum fera Beſtiæ*
Vis ſævit acriùs malignæ,
Quæ ſcelerum ſolidatur igne.
SUMMI PARENTIS *Cognitio latet*
Devota *cunctis nec* Pietas *patet;*
Surgunt cruenti bella Martis,
Nulla Fides *utriusque partis!*
Virtus *reliquit* candida *jam Solum,*
Vexata bellis, & petiit Polum.
Currit maligno vulgus orſu,
Cùm furit & ferit alta morſu.
Di-

Dilecta *quondā Civibus* Ars *iacet;*
Et derelictus Mars iterum placet,
Mars certa Mors Terræ-Parentis,
Pernicies rabioſa Gentis.
Fractus moleſtat Coniugium torus,
Fugatur omnis Pieridum chorus:
Non Jura *curæ, non* Honores,
Nec populo liciti labores.
Quodcunq; poſſum cernere lumine,
Surſùm, deorſùm, non ſine turbine
Iactatur, Æquor ceû procellis
Aſſiduis, ita Terra bellis.
Si quis requirat, (ceû fieri ſolet:)
Cur Chriſtianus Grex *adeò dolet?*
Quæ Cauſa *tantorum malorum?*
Nequities ſcelerata morum.
Peccata certè noſtra gravant DE-
Vt puniat nos, alliciunt Eum; (VM,
Quæ iam peramplis aucta nervis
Innumeris mala dant catervis.

Se-

Septentrioni *delicias* DEUS
Conceſſit, ajens; his populus meus
Vtatur, & Nobis *amorem*
Hinc referat, meritumquè florem.
Elata Gens *hoc ſchemate muneris,*
Fit imminentis fax ſibi funeris
Donis DEI *cunctis abuſa,*
Divitiis vitiis ut uſa.
Nam tortuoſam blanditiis viam
Omnes amabant, ob ſcelus impiam:
Sic ſorte, ceù Piſces in Vndâ,
Luxuriant animi ſecundâ!
Solũ, Polum, ſed qui *regit & Salum,*
Ne ſerpat inter nos magis hoc malũ,
Iuſto coërcet nos flagello,
Peſte, Fame, rabidoquè Bello.
Ergò, Fideles, *iam citò ſurgite,*
Ne veſtra dirus pectora gurgite
Abſorbeat torpor rapaci,
Atque Solo noceat feraci.

De-

Deliƈta poſthàc ſpernere diſcite
Novamquè Vitam, *quà pia, ducite*
Commiſſa JOVÆ *confitendo,*
Et veniam vitiis petendo.
Clamate! Magni CONDITOR
Ætheris,
Ne nos relinquas rebus in aſperis,
Feliciori ſtet tenore (ræ! A.
Chriſtiadum Novus Annus o-

ODE CLXIX. continens (cum ſeqq.) Soteria Januaria, ad felicem ac facilem novi Anni ingreſſum, progreſſum, & egreſſum, Cælitùs impetrandum, directa.

„ *Manè manente novo, culpas expendis ab ovo:* (*dabit?*
„ *Cùm Novus Annus abit, qua tibi ſenſa*

ANnus *occidit* Vetus
Quem repleverat metus!

Iam

Iam NOVUS *ſerenat,*
Martis arma frenat.
Confluamus invicem,
Proferamus indicem,
Vt ſciamus acta
Criminum peracta.
Computemus omnia,
Non profana ſomnia,
Sed futura fata
Impiis parata.
Dura multa vidimus,
Sed quieti vivimus,
Sic volente CHRISTO
Sæculo ſub iſto!
Nos tamen delinquimus,
Et bonum relinquimus;
Pœnitere nemo
Vult in hâc Eremo.
ANNUS *(en!)* NOVUS *micat,*
CHRISTUS *artes indicat,*

Simus ut venuſti,
Non mali, vetuſti.
Corrigamus quæ nocent,
Colligamus quæ docent:
Exuamus æſtum
Criminum nefaſtum.
Ah, quot imminent doli,
Quot furores diſcoli;
Quot mali tumultus
Impetusquè multus!
Totus Orbis angitur,
Grex Piorum tangitur;
Eiulat revulſus;
Exulat repulſus!
Reſtat ergò nil magis,
Tum relictis, tum vagis;
Quàm Preces *decentes,*
Fervidæ, recentes.
Annuet benigniter
Summus *Orbis* ARBITER,

An

Annuę precatus
Siſtat ut reatus, Amen!

ODE CLXX. Ejusdem Generis.

„*ReCeDat AnnVs LVCIſer,*
„*SVCCeDat AnnVs frVCIſer!*
„*PaX nos reVIsIt AEtherIs,*
„*Et teLa fIgIt efferIs.*

JAm ſatis datum fuit
Crimini, quod obfuit,
Iam ſatis dolori
Martiisquè mori!
Fas videre iubila
Poſt ſtupenda Nubila,
Fas DEUM *ſonare*
Carmen intonare!
Nam vocata millies
Rursùs advenit Dies:
Annus *eſt novatus*
Et velut renatus.

Laus DEO *ſit maxima,*
Quòd pericla proxima
Concidunt, nec audent
Quæ nocere gaudent.
Fac REDEMTOR *optime,*
Quod rogamus intimè:
ANNUS iſte *lætus*
Sit, ſimul quietus.
Pelle Fata fellea,
Da videre mellea
Sanitate fulta
Veritate culta!
PACIS AUTOR *es Tuis*
Quos iuvas in arduis,
Pacis *ergò* Feſta,
Fer, tuere, præſta.
REX *es: ergò nos rege*
De Tuo ſatos Grege:
FAUTOR *es; faveto,*
TUTOR *es; foveto.*

LUX *es, atra pellito;*
Noxios refellito;
DUX *es; ergò ducas*
In Polum reducas:
VICTOR *es Crucem gerens;*
PANIS *es cibum ferens:*
Ergò nos cibato
Et crucem levato.
NOSTER *es, ſumus Tui,*
Ne ſinas nos argui
A feris Tyrannis
Vltimis in Annis.
Pro Salute qui *datus*
Es Piis, ut & ſatus:
Arce de Supernâ
Singulos guberna.
Cuncta ſit procul Lues,
SOSPITATOR *hinc clues*
Atque LIBERATOR,
Criminum Piator. Amen!

ODE CLXXI. Ejusdem Valoris.

„*Cinge Novum,* IESU, *ſertis felicibus Annum*
„*Et blaſphemantem* Tua Numina, *perde Tyrannum!*

CLaudit ſuos Annus *dies*
Sit laus JEHOVÆ *millies,*
Quòd inter (heû!) tot aſpera
Vitam trahamus Sidera.
Nos Ille *de tot triſtibus*
Salvos retraxit caſibus,
Adverſa cuncta ſuſtulit
Nobisquè plauſus attulit.
Et quis fuit, qui diceret,
Vel hoc ſibi promitteret,
Vt poſſet hunc *attingere*
Annum *recentem proſperè?*
At iam, vides, *attingimus,*
Iam mente lætâ plaudimus,
Tuti Supernâ Gratiâ

Et

Et NUMINIS clementiâ.
O quis Tibi, DEUS, *pias*
Poteſt referre gratias?
Quis Hoc Tuo pro Munere
Grates poteſt perſolvere?
Vehare noſtris laudibus
Et Angelorum cantibus!
Laudes Tuas Lux ſentiat
Finemquè Veſper neſciat.
Porrò TRIAS Sanctiſſima
Eſto novis mitiſſima
Anni recentis *curſibus,*
Novis fave conatibus!
Verbum Tuum *fac floreat*
Cultus pios exerceat;
Martis repulſis claſſicis,
Revulſis telis bellicis.
Vires potentis Dexteræ
In virus Orbis exere,
Succurre noſtris Copiis,

Vt enſibus pugnent piis.
Fac Hoſtis atrox corruat
Suisquè foſſis congruat
Quas in Greges ſtruit pios,
O tolle faſtus impios!
Aufer famem duriſſimam,
Peſtem fuga ſæviſſimam,
Graviſſimos in Hoſtium
Converte morbos oſtium.
Partes tuere Chriſtidis
Dolis remotis perfidis;
DUCUM *vigor ſit candidus,*
Flos Patriæ *ſit vividus.*
Succurre ſingulis Scholis,
Templis, & eius incolis,
Obſta tumultuantibus
Fraudesquè machinantibus;
Hac Noſtra *porrò* Civitas
Fac dulcis ut ſit Vnitas,
Colamus hîc Concordiam,

Pel-

Pellamus hinc Diſcordiam.
Illam Senatus *ſuavibus*
Diu gubernet Legibus;
Artes Honeſtæ *floreant*
Multosquè Fructus præbeant!
Vernet Salus Domeſtica,
Vis deſtruatur hoſtica;
Mutetquè Bellum Pax *rata,*
Defende nos, res & ſata;
Vt are pera fulgeant
Et commodis indulgeant
Tam publicis quàm propriis,
Nec concidant opprobriis!
Quin hac ab Urbe *ſingula*
Avertito pericula,
Quæ cudit in nos triſtibus
Fraudum repertor artibus.
Hunc Tu *Tuâ vi comprime*
Noſter CREATOR *Optime!*
In TE *locamus ſpem* DEUS,

Murus Tuis *ſis aneus!*
Id fac Tuum *per* Unicum,
GNATVM, JEHOVA, Cælicum,
Omnemquè vim discriminis
Aufer Tui *vi* Numinis.
Sic TE *feremus dulcibus*
PATREM Benignum *laudibus,*
Pro ſingulis his dotibus
Cum proſperis Nepotibus! Amen.

ODE CLXXII. De novo Anno.

„Lex, Rex, Grex, Dux, Lux, Valeant caleantquè ſub Anno
„Fac ô CHRISTE *novo, criſta recidantq; Tyranno!*

CHRISTE, *Maieſtatis Apex tremenda,*
Lucidum Cæli Decus, ô colende
Semper, Hoc Anno *dato, quæ precamur,*
Ne perimamur!

Quod

Quod Prophetarũ monuêre verſus,
Criminum purus, putus atque terſus
Natus es Nobis, Opifex, Dynaſta,
Virgine caſtâ.
Alme SOL *ô Iuſtitiæ, Supernâ*
Luce *nos* Verbi, *miſeros, guberna:*
Et Sacramento *fer* utrique, *latâ*
Fronde, vireta.
Lenis humanos aperito partus;
Omnibus, Tu *namque* CREATOR,
artus
Ipſe das, ornas cute, carne, mente,
Oſſe, vigente.
Iunge productam ſobolem ſacratis,
Proſpera rebus thalamum probatis:
Cum Viro ſanctâ, canat, impedita
Lege Marita.
Certus incertæ fragilisquè ſortis,
E Poli, Dextrâ, bona prome, portis,
Ter *die claro, totiesquè gratâ*

Noƈte, vocatâ.
Cumquè nos Mortis feriet verutum
(Quod ſemel cunƈtis fieri ſtatutum)
PrincipI finisquè Dator, beata
Suggere fata.
Fertilis frugum pecorisquè Terra
Spiceâ ditet vacuos acerrâ:
Fœtibus proſint & aqua cupitis,
Auraq; mitis.
Condito, lenis placidusquè, telo,
Supplices audi, radiante Cœlo:
Scandali denſum lolium revelle,
Dæmona pelle.
Si Tuum creſcens opus eſt Homullus,
Si Tuis alis placet iſte pullus,
Sit pari paſſu, (petimus) Creatus,
Et recreatus!
Nam reo flexit GENITORIS *iram,*
Gratiam, Pacem retulitquè miram,
Liberum munivit iterquè rurſum
Mors

Mors Tua ſurſum.
Tu *probos mores docili Iuventæ,*
Tu *Senectuti fluidæ repentè,*
Tu, *malis, turmæ, dato, Chriſtianæ,*
Tempus inane.
Quique nos vitâ facieque ſpurcâ
Funditùs tentat iugulare, Turca:
Occidat, fruſtrà minitans pharetris
Vndique tetris!
Iam mari terraquè manus potentes,
Deditis Cælo mala molientes,
In ſuis, pleno, crucientur oris,
Corde timoris.
Iam Fides *&* Pax, *& Honor Pudorq;*
Priſcus, ubertim redeat, nitorquè
Ille virtutum, quibus eſt Polorum
Plaſma decorum.
Chriſtias, *vitæ Fideiquè pura*
Se, gemat, Cæli violáſſe iura:
Sit TIBI *concors, in eâquè parcus.*

X 7 En-

Enſis & arcus.
Cæſar *&* Reges,Proceresq́; *cuncti,*
PACE *ſinceris animisquè iuncti,*
Ad Tuas laudes, Pietate vernent,
Nosquè gubernent.
Quiq́; Tarpæium tenet Antichriſtus,
Ne gravet, quod vinxit amore
CHRISTUS,
Cedat, hoc Anno, monitus, recenti,
Vera Docenti.
Hæc JOVAM *ſentire die ſuborto,*
Spem bonā certamq́; domū reporto,
Omnibus, gnarus DOMINI favoris,
Firmiter horis. A.

ODE CLXXIII. Ejusdem Caloris.

„ *Cùm* Novus Annus *abit, quis atracia fata fugabit?* (IESUS.
„ *Vix aliquis Cræſus, ſed* Noſter *ab Aethere*

Sit

SIt meta iam doloribus,
Sit theta vaſris fraudibus,
Et Martiis furoribus!
Sit fas triumphos ducere
Laudesquè CHRISTO dicere;
Ac invidos convincere:
Nam flagitata millies
Refulſit (ecce!) iam Dies,
Per quam datur nobis quies.
Sit Laus Tibi REX Cælitum,
Quòd ſic Tuorum Militum
Cœtum beas paſſim ſitum;
Annusquè ceſſit quòd vetus
Quem panicus preſſit metus,
Diraquè Sortis impetus.
Novus ſit ergò tutior,
Sit lætior, ſit lautior,
Sub commodisquè latior!
Da Pacis Autor Maxime
Vt TE colamus proximè,

Prout cupis verisſimè;
Fac floreat Pax *aurea,*
Eiusquè grata Laurea
Iam corda recreet rea!
Regem *fatemur Te* Bonum,
Qui *Cælicum tenes Thronum,*
Legumquè promoves Tonum:
Fac ergò Reges id ſciant
Et Te Monarcham *ſentiant,*
Nec Bella plura conciant!
Tu *quippè* Solus *ſcis modum*
Noſtræ Saluti commodum,
Huic ne quis obſit poſtmodùm.
Ros Veritatis *ſit* Choro,
Flos Æquitatis *in* Foro,
Dos Caſtitatis *in* Toro.
Domi foriſquè nos regas,
Et maximè tum protegas
Impœnitentes quum necas.
Succesſibus negotia

Da-

Da plena ſint, nec otia
Diſterminent repotia.
Novo *ſub* Anno, *ſit* novus
Pacis Sequeſter, *& probus,*
Mundi niteſcat quo globus!
Huîc *adde* Cœtus vividos,
Qui perſequantur perfidos
Coërceantquè lividos:
Sint Æquitatis Lumina,
Tyrannidis qui flamina
Siſtant, doliquè flumina;
Vt nos ſub Horum *tegmine*
Verbi *fruamur* Semine,
Turbante poſthac nemine.
Sic TE *iuvante, proſperè*
Sub Orbis huius veſpere
Vivemus, & non aſperè.
Sic TE *canemus iugiter,*
Et ſerviemus gnaviter
Cælo recepti ſuaviter! Amen.

ODE

ODE CLXXIV. Pro ſequentium Annorum ubertate ac ſalubritate.

,, *Largire*, IOVA; Pacem
,, *Dans* Gratiam *ſequacem*
,, *Omnis* Boni *feracem!*

CHRISTE DEI Fili, *ſis vili Tutor Ovili,* (tor, *Oves.*
Cuius lacte foves, ceû Bonus Al-
Da fauſtos annos, rabidos compeſce Tyrannos, (*facem!*
Inſtaura Pacem, *Martis & abde*
Igne crema currus, ceſſabit in Orbe ſuſurrus, (*metus.*
Miteſcet fletus, cordivorusquè
Confringens enſes fœcundos ſuffice menſes, (*quies.*
Sit ſine nube dies, ſit ſine lite
Annihila bellum, preſſum ditato popellum, (*bus offer agrum.*
Disquè-trahas flagrum, frugi-
Di-

Diras ſiſte minas, illatas pende rui-
nas, *(focis.*
Prælia claude locis, pelle pericla
Defendas Vrbes, contraria fœdera
turbes *(niciem!*
Frange mali glaciem, diſſue per-
Propugna muros, ſtrepitus avertito
duros; *(nes!*
O ne declines nos miſeros homi-
Pugnas exortas ſopi, quaſſas ſtrue
portas,
Et fulcrum raſis inſinuato caſis.
Ne vacuent ciſtas, fures cum Milite
ſiſtas, *(tes.*
Exarmes pedites, & rapidos equi-
Da clarum Solem, ſurgentem deſtrue
molem, *(onus!*
Fidis eſto Bonus, grande fugabis
Enſifer ELECTOR, (*fac Clemen-*
tiſſime RECTOR!)

Flo-

Floreat hocce Solo ſidereoquè Polo.
Cernat GNATORUM *fauſtiſſima fa-*
ta Suorum. (*Orbe ſatos!*
Ex GNATIS GNATOS *cernat in*
Creſcat in exemplis Academia *de-*
dita Templis,
ELECTORATUS *ſit Pietate ratus.*
Omnes Præfecti *foveant ſubſellia*
Recti, (*Ceres.*
Conſilii Proceres *obruat alma*
Atq; Senatores *expellant mente pa-*
vores, (*culos.*
Exacuent oculos, & reparent lo-
Oppreſſos Cives *vegetet* Benedictio
dives; (*tis;*
Sitq; Iuventutis proſpera tota cu-
Et Præceptores *Sanctos rimentur*
honores, (*bris.*
Ex totis fibris invigilentquè bi-
Informent lentam verâ probitate
Juventam, *Com-*

Compeſcant Pueros *in levitate*
feros. (*dere latus*
CHRISTIADUM *Cœtus tranquillo ſi-*
Arripiat lucē, nil paveatq; crucē.
Peſtiferis morbis, fac, ne magis
æſtuet Orbis, (*dati.*
Sed videat fati proſpera puncta
Dent Vites fructus minuentes ne-
ctare luctus, (*nas!*
Singulis plenas exhilarentq; ge-
Det tellus herbas, ſpinas exſtirpet
acerbas,
Enecet urticas diſcutietq; plicas.
Quilibet amplexus, JESU, *præſtet*
Tibi *ſexus* (*manus.*
Inquè Fide *ſanus tollat ad Aſtra*
Exclament cuncti Pietatis fœdere
iuncti, (*terq; ſonos:*
Hosquè crepent pronos terq; qua-
CHRISTE DEI Fili, *ſis vili Fautor*
Ovili, *Cu-*

Cuius lacte foves, Paſtor *amicus, Oves.* (*pannos,*
Des faciles annos, nudatis ſuggere
Sis deſperatis, per freta, fixa Ratis. (*nis,*
Eſcas ieiunis, teneris des fercula cu-
Erranteſq́; piâ, DUX BONE, *flecte viâ.* (*bibe potum,*
Tolle trucem motum, ſitientibus ad-
Extorres propriæ reſtituas Patria! (*renes,*
Tardigradoſq́; Senes Divinâ luce ſe-
Extinctis fato Cœlica Regna dato.
Soleris flentes, audi peccata fatentes; (ma Salus:
Deſinat eſſe malus quem ſitit Al-
Et poſt hanc mortem promiſſam ſuffice Sortem, (*opes!* A.
In quâ ſunt copes proſperitatis

ODE

ODE CLXXV. CONSOLATORIA, de CHRISTI Vitâ & Officio, Ex B. Huſſii Bohemicâ.

„ *Eſt* CHRISTI *Crux Lux, ſunt Vulnera munera cunctis,* (*ctis.*
„ *Eſt funus fœnus, per Amoris fœdera jun-*

SAlvator ô JESU *pie*
Icon PARENTIS *Vſiæ,*
Da poſſe noſſe Te DEUM
Ac me reum!
Quàm Charitas *ingens* Tua,
Dum Regna linquis ardua,
Meamquè ſuſpicis vicem
Multiplicem.
Herodis enſes effugis
Noſtrasquè ſordes eluis,
Dum vincis aſtus Dæmonis
Sacris ſonis.
Inops & exſul ambulas

Per

Per huius Orbis inſulas,
Nimis fatigas Te *modis*
Incommodis.
Doces malos, bonis faves,
Non ſed furores præcaves
In Patriâ, cui ſubvenis
Vdis genis.
Rebellibus Te *ſubiicis,*
Unusquè *cunctis ſufficis,*
Quibus Tuam *des* Gratiam,
Certam, piam:
Sed nil tot lacrymis agis
Quin perſequantur Te *magis,*
Hoſtem ſuumque clamitent,
Nec noſcitent.
Convitiis laceſſeris,
Et à Miniſtro proderis,
Ligaris & traduceris
Sannis meris.
Plagas deindè ſenſeras,

Nec

Nec tutus à ſputis eras,
Serto gravaris ſpineo
Bono meo.
Hinc actus in diram Crucem,
Oſtendis eſſe Te Ducem,
Gregi Tuo, periculis
In ſingulis.
Da me vel hoc perpendere,
Quæ Mortis almæ *pondere*
Affers Tuis Clientibus
Hic flentibus.
Sepultus Orcum viſeras,
Ternâ die revixeras,
Nos ut queamus proſperè
Reſurgere.
O quàm beata Mens erit
Quæ debitum perſolverit
Tibi REDEMTORI *bono*
Grato ſono!
Me, CHRISTE *talem reddito,*

Et SPIRITUM *concedito,*
Qui *monſtret ad Cælos viam*
Non deviam.
Cùm iudicare me voles,
Specta quid optet indoles
Quæ Te Bonum *ſitit Fide*
Indeſide.
Hanc Tu *magis corrobora,*
Vt dura poſt hæc tempora
Scopo fruatur entheo
Sub Te DEO! Amen.

ODE CLXXVI. Hominis verè contriti & humiliati.

„ *Separat à* CHRISTO *nec Sors me torrida, nec Mors,* (*ſtis.*
„ *Horrida nec peſtis, funeſta nec aſpraq; re-*

Q*Vid ſum,* CHRISTE, *quòd audeo*
Vermis, bulla, loqui cum DOMINO *meo?*
Vas, heû, fertile ſordium,

Ple-

Plenū quisquiliis, eſcaq; vermium!
Sed Tu *factus* Homo, *meus*
Es Frater, *quod eras ante, manes*
O de carne meâ Caro (DEUS.
Fratri parce, Manū porrige Lazaro!
Adſis Spes *animæ meæ,*
Et ſortis remove pondera plumbea.
Vt ſim tutus ab hoſtibus,
Cæli me propera reddere ſedibus.
Cordis læta quies, *mei*
Luctûs deme mihi tormina fellei!
Eſt ægris Tua Dextera, (*ra.*
Quod laſſis requies, grataq; veſpe-
Ergò, CHRISTE *meus, veni,*
Et feſſo facili Numine *ſubveni!*
Felicem precor exitum (*litum.*
Summū quando trahā fractus anhe-
Sum vitæ ſatur iſtius, (*ùs,*
Quin hinc ergò Bonus *me rapis ocy-*
Tranquilloquè locas Polo?

Nam me nil miſero iã iuvat in Solo.
Quàm felix animis ero,
Mundi, ſub pedibus, cũ bona videro!
Veſtem corporis exuam,
Et quam nulla dies deteret, induam.
Tum Mens noſtra canet melos,
Quod cantare Tuos audiet Angelos,
Ad Sponſi *thalamos* ſui.
Felices, quibus hâc ſorte datur frui!

ODE CLXXVII. Hominis contriti, & DEO dediti.

„ *Qui non conſentit peccatis, gaudia ſentit.*

S*Vpplex* Tibi *ſiſtor* DEUS,
Ah, ne vocer ſub ius reus!
En, ſiſto Prædem FILIUM,
Ceũ Præſidem Fidelium.
Ejus *tuere vulnera,*
Clavos, plagas & funera,
Quæ ſunt Salutis munera
Et ſigna Gratiæ mera,

O vi-

O vive Fons *Clementiæ,*
Pons *omnis Indulgentiæ,*
Nullas minas fac horream
Cæli ſequens adoream!
Vivam Tibi, *cadam* Tibi
Reusquè damner nullibi:
Tu *namque* Factor Es *meus*
Tu *Magnus & Potens* DEUS.
Huius Soli poſt nubila
Poli reclude iubila;
Vt per rigores aſperos
Cernam vigores proſperos. Amē!

ODE CLXXVIII. Ad CHRISTVM JESVM DEI Agnum, verè Magnum.

„ *Qui* Benefactorum *non Vult memor eſſe* Tuorum, *(benignus.*
„ *Non Vir is eſt dignus, ſis huic ut,* CHRISTE,

CHRISTE, *iuſtorum* Pater *atque* Princeps,

Sis meus Vindex, ut eras, deinceps:
Ne creent denſo mihi bella plures
Agmine fures!
Noſco me maſſam vitioſitatis,
Noſco ſincera mihi ſanitatis
Intùs ac extùs nihil eſſe laſſo
Labequè quaſſo.
AGNE, *tot fuſis precibus vocate,*
Ac in Altari Crucis immolate,
Innocens tollis mala qui *profundi*
Crimina Mundi.
Supplici cultu Tibi *me reſigno,*
Tu *pio Vultu* Deitate *digno*
Cerne clamores, modò quos repono
Pectore prono.
Sis mihi præſens, Bone Ductor, *atrũ*
Ne Stygis ſavæ trahar in barathrũ;
Sed ſequax recti penetrem decoras
Ætheris oras.
Sic Tibi *grates referam frequentes,*
An-

Angelorum quàs Superûmq́ Mentes
Concinunt Odis nimium canoris,
Omnibus horis! A.

ODE CLXXIX. PARAPHRASTICA, Veteris illius Cantionis: Mediâ Vitâ in morte ſumus, &c.

„ *Sanctus in Cælis* PATER *eſt* Creator,
„ *Sanctus eſt* GNATUS *Vitii* Levator,
„ *Sanctus eſt* FLATUS. *Sit Honos Decuſquè*
His Tribus *uſque*!

IN *mediâ vitâ, telis hinc indè petitâ,*
Quid magis ac fumus Mortis in ore ſumus?
Quod ſequimur filum? vel quod meditamur aſylum,
TE *ſine* Summe *Poli* Conditor, *atq́ Soli?*
Ah, quid erit tutum? Tu *crimina cernis acutùm,*
Iras flasquè truces multiplicando cruces;
Sancte DEVS *ſerva; nobis mala deme proterva,*

Nam veniæ pronus Solus Es, *atque Bonus.* (*mina ſortis;*
Sancte DEVS *Fortis, procul arce ful-*
TE *colimus Regem; nos rege, nempè gregem.* (*turbine donans,*
Sancte *Favensq;* Tonans, *vitā ſine*
Ne nos trade neci: praſtò ſed eſto preci! Amen.

ODE CLXXX. COMMONEFACTORIA, ad Pœnitentiam agendam.

,, *Quisquis es, in rebus noli ſperare caducis,*
,, *Sed cupiat tua Mens* æternæ *gaudia* Lucis.

SAt *iam devia trivimus,*
Cùm contra DOMINVM *turpiter ivimus:*
Eſt tempus mala ſpernere, (*re.*
Et quæ nos maneant gaudia cerne-
I, tandem procul, i pavor, (vor!
CHRISTI *mellifluus nos recreat* Fa-

O in-

O ingens Favor! *hoc Soli*
Grex, & REX *Superi fœdus init Poli!*
Orcum claudit Amor DEI,
Et fit terrigenis petra Bonæ Spei.
Quos Cæleſtis Amor *capit* (*pit,*
Incendit, ſtimulat, ſanctificat, ra-
Hi nullas metuunt minas,
Nullas, quas adhibet trux Draco,
machinas.
Nam geſtant galeam Fidem,(*dē.*
Hoſtis quâ reprimant ſæpè Tyranni-
Felix, quisquis amat DEVM!
Pœna, quas meruit, nō quatient eū.
Quamvis invideat malus (LVS.
Hunc Suprema *tamen reſpiciet* SA-
Nil quicquam facit irritum (*tū.*
CHRISTI *munificū* Numē *& incly-*
Hoc *quisquis Pius invocat,*
Huic labis veniam protinùs irrogat.
Ad CHRISTVM *quoties venis,*

Quã quæris veniã ſedulus invenis.
Grandi voce tonet fretum
Contra teq́; gravẽ concitet impetũ:
Mentis præſidium DEVS
Eſt & Petra tua, Murus & igneus.
Huîc *ergò recinas melos*
Quod cantare ſuos iuſſerat Angelos:
Vt quondam Superis Choris
Coniunctus, repetas id, poſitis moris! Amen.

ODE CLXXXI. Ex illo dictò CHRISTI: Venite ad me omnes, &c. Matth. 11. v. 28. ſeqq.

„ *Vt valeam ſine labe viis procedere tutis,*
„ *Gratuita* IESU, *confer mihi dona Salutis!*

SIc *clamitat* GNATVS DEI:
Adeſte ſinguli rei,
Peccata quos fatigant;
Ætas & omnis natio,

Stir-

Stirpis meæ *cognatio*
Sub me *ſtativa figant!*
A me *datum qui fert onus,*
Et durat in curſu bonus,
Non tendet ad barathrum:
Tectus meâ *ſed hîc* ope,
Hæresquè factus me *propè*
Scandet Poli theatrum.
Quæ dixeram, quæ feceram,
His donec in terris eram,
Id vos *decet ſubire:*
Qui iuſſa namque perficit,
Etſi Satan hunc deſpicit
Nequit tamen perire.
Quivis Salutem poſceret
Si nulla Crux ſuccreſceret
In Orbe ſufferenda:
Sed eſſe non poteſt ſecùs,
Quin Chriſtianis *Crux decus*
Hîc formet expetenda.

Quacunque cernuntur Solo
Subſunt gravi Crucis tholo,
Nil eſt ab hac remotum:
Vult nempè JOVA *per Crucem*
Probare cunctis SE Ducem,
Satis ſuperquè notum.
Qui nunc videtur floridus,
Cras efferetur aridus
Claudetur & ſepulchro:
Vt floſculum falx proterit,
Sic iſta vita præterit,
Iugi caretquè fulcro.
Mors Marsquè Mundum territat,
AEger valere cogitat
Mutare vultquè vitam:
Nunc illud iſte præcipit;
Nunc alter hocce præripit,
Rem ſomniatquè ſcitam.
Vſura quum nec ampliùs
Vita datur, vitaliùs

Vult

Vult ſe Polo probare:
Sed ſæpè fit, qui ſtat malè
Ad ultimum vitæ Vale
Nequit DEO *litare.*
Opes nihil, nihil decus
Proſunt, nec æs forinſecùs,
Hinc cùm ſit emigrandum:
Sit Crœſus, Irus, aut Plato,
Fato tamen ſubeſt ſtato;
Huius rigore ſtandum.
Sophos iuvat nil gloria,
Nil Cæſares Victoria,
Lethi manent vaſalli:
Qui non DEO *ſe conſecrant*
Eum*què ſemper obſecrant,*
Damnantur (heû!) miſelli.
Audite Filii DEI
Pleni Favoris Enthei,
Nec ſit labor moleſtus:
Durate, CHRISTO *credite,*

Totos Ei *vos tradite,*
Abſit dolorquè mæſtus,
Malum malo ne pendite,
Mundi minas contemnite
Ludibriumquè cunctum;
Cauſam DEO *relinquite*
Nec cum malis delinquite,
Queîs inſtat acre punctum.
Si cuncta Vobis proſperè
Succederent, nil aſperè,
Eſſetis absque fruge:
Immittit ergò JAH *Crucem,*
Velut fidelium Ducem
Solatiumquè iuge.
Quòd ſi videtur horrida;
Conſiderate, torrida
Quàm ſit Stygis lacuna;
Torquentur in quâ perditi
Virtute nullâ præditi,
Et lancinantur unà,

Vos

Vos grata *ſed manet* quies,
Poſt perbreves Crucis dies
Cum præbitore CHRISTO:
Hanc nullus eloqui valet,
Nam plurimis Bonis calet
DEI *favore miſto.*
Sic nempè JOVA *quæ* ſuo
Sermone *promit arduo*
Firmat fidele FLAMEN,
Præbetquè; nosquè *iugiter*
Choris ſacris ſublimiter
In Axe iungit. Amen!

ODE CLXXXII. Pro remiſſione peccatorum, intuitu ſalvificæ Pasſionis CHRISTI, jugiter impetrandâ.

„ *Rebus in adverſis meliùs ſperando ſuperſis:*
„ *Det Cruce ſub triſti ſolatia Paſſio* CHRISTI.

CHRISTE *Supremæ* Dominator *ora*;
Dum Tuum corpus madidum cruore
Specto, dum cædi meditor frequente
Pectora ſente,
Totus horreſco, ſceleris paterni
Plenus, iram quo PATRIS æviterni
Concii, iamiam ſubiturus atrum
Funere clathrum!
Rē neget quisnām bonitate *plenā*:
REX *quòd immenſus tolerare pænā*
Auſus Es, *Vitam reparans protervo*
Fataquè ſervo?
Heû Tuæ ſum ſons ego cauſa Mortis,
Paſſionis ſum Tibi *plaga fortis*;
Tu *meo lives terebratus ictu*,
Caſſus amictu.
Quòd meam fregi vitiis iuventam,
Tu *necem pro me pateris cruentam*,
Et PATREM *placas moriens in Arâ*
Vi-

Victima chara.
Ergò me vultu placido tuere.
Nec ſinas fruſtrà malefacta flere;
Particeps ut ſim cupidè Tuorum
CHRISTE *Bonorum!* A.

ODE CLXXXIII. De Paſſione D.N. JESU CHRISTI.

„ *Ornamenta mihi Tua ſunt tormenta,* Redemtor, (*mea Sors!*
„ *Eſt Tua Crux mea Lux, eſt Tua Mors*

CVr, ò Homo *ſceleſte,*
Teneris usque peſte
Deformium malorum,
Et lapſuum vagorum!
Quid ampliùs requiris,
Quàm quo ſtatu potiris?
Quò te, miſelle, fluxus
Trahit ſubindè luxus;
Vt omnium-potentis
Sis immemor PARENTIS,

Et

Et Illius *Favoris;*
Cunctis viges quòd horis?
Flagrans Amoris *æſtu,*
Quem prodit ore, geſtu,
Te diligit Benignus,
Quo non es usque dignus!
Causâ tua Salutis
Nam miſit (ut Statutis
Promiſit) hac in arva
GNATUM, *ſub æde parvâ.*
Non Is *proindè ſegnis,*
(Mens obſtupeſce!) Regnis
Ultrò ſuis receſſit,
Morem PATRI*què geſſit.*
Mundi vagis in oris
Graviſſimi laboris
Moles tulit moleſtas,
Partes agens honeſtas.
Opus Salutis *orſus*
Nil horruit remorſus

Curæ cor atterentis,
Nil vim Stygis frementis;
[N]ihil minas, furores,
Vrſit ſuos labores
Sanctos, pios, probatos,
Iuſtos, Boniſquè gratos.
[I]nfractus atque fortis
Adverſa fata ſortis
Savosquè ſenſit ictus,
A propriis relictus.
[P]igri gelu rigorem,
Solis gravem vigorem,
Famemquè perferebat;
Guttur ſitis premebat.
[L]ivore molientûm
Necem ſibi *Potentúm*
Semper fuit gravatus,
Heû, nuſpiamquè gratus!
[C]rebrò domo remotus
Sylvâ virente fotus

Per-

Pernox vigilquè manſit
Nox quando furva transit.
Is exſtitit proborum
Non falſa norma morum,
Monſtrans honeſta vitæ,
Vt fax coruſca, ritè,
Feſtos dies colebat,
Prout PATER volebat:
Sacro litabat ore,
DEUM colente more.
At tu profane NUMEN
Contemnis, undè flumen
Prædulce Charitatis
Manat perenne gratis.
Contaminas nefandè
Lucis Sacrum notandæ:
Verbi Polaris uſus
Eſt ſcomma, ſanna, luſus.
Libidinis petulcæ
Virus ſceluſquè dulce

Te torquet intùs igne,
Et conficit malignè.
Fontem tuæ Salutis
Horres fugisquè, Brutis
Stupore par inerte;
Id quod liquet diſertè.
Dein CHRISTUS *hoc peregit:*
Draconis arma fregit
Victor potens, *& atri*
Vim contudit Barathri;
Vt liber indè Dextrâ
Ejus *fruaris, extrà*
Queſtus, quiete iugi,
Sis perpetimquè frugi.
Tu ſpontè ſed ſiniſtro
Te Dæmonis capiſtro
Subdis, ſub ima vergens
In Tartarumquè pergens.
Is *Corpus in Sacratum*
Non fecit apparatum,

Vi-

Vilem trahendo victum,
Vitæ genusquè ſtrictum;
Vt te Bonis bearet,
Et ritè reppararet
Vitæ *ſtatum* Supernæ,
Amans tui paternè.
At tu *mero madeſcis*
Ventrem gravaris eſcis:
Luxu fluis nefando,
Furenter helluando.
Dans ILLE *flabra velis*
Sanctiſſimis loquelis
Aures Virûm replebat,
Quæ recta ſunt, docebat.
At tu DEUM *laceſſis,*
Nec à malis faceſſis,
Quum ſis & immodeſtus
Ac omnibus moleſtus.
Non ILLE *proximorum*
Auceps fuit bonorum,

Colens ubique Pacem
Haud quæſtuum petacem,
Tu *per nefas, per & fas*
Opes hiante conflas
Siti, tuum cor uris
Nefariiſquè curis.
Fœdiſſimo labore
Id quæris, ut favore
Vel omnium fruaris,
Et laudibus feraris.
Saltem diebus hiſce
Illud revolve, diſce;
Ut te beárit ILLE,
Dum fert pericla mille!
JESUS *favore Mortem*
Sævam ſubitquè ſortem,
Ut flecteret TONANTEM
Irâ gravi flagrantem.
Ob iſta fune torto
Ligatus eſt in horto,

SE

SE *paſſus arte* fuci
Prodi, manùquè duci.
In tecta ductus Hannæ
Tulit nefanda ſannæ:
Hic pugnus hæſit, uber
Fecit caputquè tuber.
Furore turba pota
In Vrbe nocte totâ
Hunc *traxit hinc & indè,*
Caiphæ dedit deindè.
Hic ſæva duplicantur,
Teſtes dolo ciuantur:
Torquentur ore diro
Geſtus, furore miro.
Ad Pontium Pilatum
Hinc tractus eſt; reatum
Non Is *patravit ullum,*
Fecit ſcelusquè nullum.
Quum nollet at tacere
Plebs, Hic volens placere

Ple

Plebi, tulit ſceleſtum
Ius, heû Bonus moleſtum!
Eſt, inquit, HIC *rebellis,*
Duris proin flagellis
Cædatur, atque ligno
Figatur in maligno.
Ac protinùs retrorſum
Strinxit columna dorſum,
Artus *flagris notantur*
Et fuſte verberantur.
Horrens corona ſente
Caput *premit rigente,*
Sanctum *velutquè rore*
Madeſcit Os *cruore.*
Hac nil tamen furentem
Movêre dira gentem,
Vt fortè leniores
Infligeret dolores.
Omnes ſimul ſonabant,
Et nequiter tonabant

Clamore, voce forti;
Dedatur Iſte *morti!*
Iam ducitur necandus,
Grex iubilat nefandus,
Trabis premente mole
Tergus *gravatquè molle.*
Vibice vultus *ater*
Horret: miſella Mater
Occurrit, & dolore
Vix iſta promſit ore;
Mi NATE, *chare* NATE!
Ah, cur revellor à TE?
Quò tendis? heù ſubibis
Inſons necem? peribis?
O gens cruenta! gens trux;
Gens nulla quam regit lux!
Cur perdis immerentem?
Cur me *necas gementem?*
Sic dixit; ILLE *laſſus*
Magis magisquè, paſſus

Ma

Movebat ad paratum
Collem, rigore ſtratum;
Vbi Cruci *cruentæ*
Vi figitur furente:
Et hinc & indè Latro
Tabo rigebat atro.
Vrebat Os *moleſta*
Sitis: ſitim ſceleſta
Merx felle ſed levabat,
Imò magis gravabat.
O mi PATER DEUS*què*
Cur me *relinquis uſque?*
Clamando, finit arctè
Vitæ modum *peractæ.*
Tandemquè corda caſta
Transverberavit haſtâ
Miles profanus, undè
Fluxit latex abundè.
Portenta dira mentes
Perculſerant furentes,

Sol conſtitit, coruſcam
Fecit diemquè fuſcam.
O dulcis, ô benigne,
O laude CHRISTE *digne,*
Quàm nos *amas decenter!*
Quàm fers necem libenter!
Ne ſub nigro Gehennæ
Simus lacu perennè:
In Axe ſed Polorum
Cum Cœtibus Proborum.
Nemo Scelus Parentûm
Superba molientûm
Potis fuit levare
Orcovè liberare,
Quàm CHRISTUS Ipſe *rore*
Sui Cruoris: *ore*
Homo nec indè vili
Grates rependit ILLI!
Delicta tetra cordi
Sunt, impiaquè ſordi

Magis ſtudet magisquè
Immergitur malisquè.
At ô Homo *reſurge,*
Boni Laboris urge
Opus pium, nec error
Te fallat angue peior,
Grates agas, tuâpte
DEUM *preceris aptè;*
Vt det tibi iuvamen
In Axe ſemper, Amen!

ODE CLXXXIV. De Eâdem efficaciſſimâ CHRISTI Paſſione.

„ *Diſpice mortalis, pro te datur* Hoſtia *qualis!* (*ra.*
„ *In Crucis eſt Arâ,* QUEM *timet Orbis ha-*

Huc vultus, Homo, *coniice,*
Quæ CHRISTUS *toleret tormina conſpice!*
En, qui *cuncta Manu movet,*

Accendit, recreat, vivificat, fovet,
Iam captus malè roditur,
Verbis & colaphis funeq́ læditur.
Qui *potum tibi ſuggerit,*
Nec te, ſi veniant triſtia, deſerit;
AEger iam ſitit, eſurit,
At Mors intereà truxq́, Satan furit!
Fœdis conſpuitur modis,
Qui *noſtris dederat tot bona commo-* (*dis.*
Qui *Regum caput erigit,*
Auro condecorat, Sceptraq́ porrigit;
En, ſpinis caput obiicit,
Ac PATRIS *ſub iis* fœdera *conficit.*
Nudus cæditur acriter,
Qui *noſtras animas veſtit alacri-* (*ter.*
Damnatur velut impius,
Per quē *dirigitur Tractꝰ Olympius.*
Dirâ figitur in Cruce,
Quo *grex Iſacidûm tutꝰ erat* Duce.
Mundi vulnera qui *lavat,*
Eius

Eius lancea Cor non leviter cavat:
Vt per lata foramina
Quæramus ſcelerum læta piamina,
Quò plùs Sanguinis effluat
Annon cernis,ut Huîc *vis gravis in-*
Mortem vinceret ut ferã, (gruat?
Pœnam ſupplicii pertulit aſperam.
Qui *vitam dedit Omnibus,*
Certis mortuus eſt conditionibus.
Huîc *grates igitur feras,*
Sed conſueta priùs crimina deſeras;
Vt tam fertilis Hoſtia,
Recludat Patria Cælitis oſtia! Am.

Quisquis habet CHRISTI *conſperſos* Sangui-
ne *poſtes,*
Spernit quos cernit venientes cominùs Hoſtes.

ODE CLXXXV. è vulgari illâ Veterum Bohemorum cantione: Chriſtus / der uns ſelig macht / ꝛc.

„*Immundum Mundum quòd reddat Sangui-*
ne mundum, (*ne gratesi*
„*Quis* CHRISTO *grates non ſolvat Carmi-*

☞ CHRISTUS *Auſpex Gratiæ,*
Agnus *inculpatus*
Fraude noctis anxiæ
Fur velut ligatus,
Flaminum datur choro
Sæva quorum vota;
Hocquè damnatus Foro
Nocte vim fert totâ.
❀ Hora Prima *de Die*
Siſtit Hunc *Pilato:*
Favit Is *primùm piè*
Impiè ligato,
Teſtis innocentiæ
Miſit Hunc *Herodi,*
In notam Faventiæ,
Nevè posſit rodi.
☉ Tertiâ GNATUS DEI
Scinditur flagellis;

Vi-

Viquè Risûs fellei
Fingitur Rebellis:
Lancinat Caput Sacrum
Spina dura Serti,
Per Crucemque Cor macrum
Sentiunt lacerti.
✠ Sexta *vidit Hunc truce*
Pendulum livere;
Atque Lytron in cruce
Lacrymis augere.
Contuentium furor
Probra convomebat,
Ora Solis hinc pudor
Furvus obvolvebat.
☞ Nona *Threno ferbuit*
Fervidè clamantis,
Ejus *Os fel imbuit*
(Proh!) agonizantis.
Spiritum tradit PATRI,
Terra tum tremebat;

Tegmen abruptum Sacri,
Petra rupta flebat.
✱ *Ingruente Veſpere*
Fracta Binis crura,
At DEI *Cor aſperè*
Transit Haſta dura:
Vndè puri Sanguinis
Atque Flumen Vndæ
(Balneum quòd Criminis)
Fluxit (heû!) abundè.
⊙ *Sub Diei Terminum*
Tollitur de Ligno
Et politur Vnguinum
Ritè cultu digno.
In Sepulcrum conditur
Rupis excavatæ:
Miles huic adponitur
Sonte cæcitate.
✠ *O iuva* FILI DEI
Vi Necis ſevera,

Te colamus ut Rei
Corde puro verè;
Mortis anſam providâ
Mente ruminando,
Et Fide præfervidâ
Gratias litando. Amen!

ODE CLXXXVI. Hominis pœnitentis, ad Lytròn CHRISTI provocantis.

,, *Quisquis es, absq; morâ vitium removere labora;*
,, *Peccatum verè faciat te ſæpè dolere!*

Utinam, JEHOVA, *conquerar de crimine,*
Quod perpetravi noxio molimine?
Non Angelorũ Cœtibus, nõ Mentibus
Mecum pari ſub (heu!) iugo gementibus:
Tibi *ſed* UNI *cuncta* qui *vides probè*
Quæcunq; patrant ſinguli, vel in ſcrobe.

Ad TE *proindè ſupplici tendo prece,*
Nullâ magis re dignior, niſi nece.
Benigne JOVA, *parce ſupplici Tuo,*
Lavit Cruore *quem* Tuus GNATUS *ſuo!*
Maiora ſolvit Ille, *quàm quæ debui*
Anſam Lytro *qui tam* cruento *præbui:*
Appende Lytrõ *lancibus cũ crimine*
Vtrumque iuſto ponderans examine:
Præponderabit Lytrõ *auſis, ſat ſcio,*
Nam tanta *quid non obtineret* Paſſio?
Solutio ſit hæc mihi ſolatio,
Cum labe noſtrâ ſi ſiet collatio.
Hanc *propter, oro, parce iam mihi* DEUS,
Ne dicar atro Dæmoni magis reꝰ!
Sic prædicabo tã benignã Gratiam

Cha-

Choro fideli; quodq; rupi ſarciam.
JESU *iuvato me* Bonus *tantummodò,* (*do.* Amen!
Tuo meoq; (ſed meo plùs) commo-

ODE CLXXXVII. Ad Confeſſionem accedentium, & Abſolutionem accipientium.

„ *Non cor petroſum ſed ſit peccata peroſum!*
„ *Vis placare* DEUM? *te fateare reum.*

H*âc die ſub Axe Cæli,*
Enthei pro more Zeli,
Corde contrito ſimul & fideli,
Supplici Confesſione
Mentis ac devotione
Flagitemus iã bona de Sione.
Pænitens ad cor reverſi
Et DEUM PATREM *profesſi,*
Vota ſolvamus geminata fesſi.
Ille *fractis namque rebus*

Pœnitentiæ diebus (mus.
Fert opē ceu REX Bonus & Supre-
Invicem fleamus auſu,
Ne ſit ardor ille clauſus, (*ſus.*
Quin det optatos ſine labe plau-
Fœdus *à nobis* relictum,
Et gravem Draconis ictum,
Ne putemus crebatō eſſe fictum.
Supplicemus & rogemus,
Nec pianda prorogemus;
Sed DEO *ſuſpiria crebra demus.*
O Benigne JOVA, *Gnatos*
Audias tandem renatos,
Ac Tibi PATRI *fac ubiq; gratos.*
Noxias lava potenter,
Et remittas affluenter (*renter.*
Cuncta prorſus quæ facimus ſu-
Sub Tuo rigore ſtamus,
Te *gementer invocamus,*
Gratię fontem *reſeres, rogamus!*

Cor-

Cordis aufer pravitatem,
Et leva protervitatem
Per Tuã PaſtorBone, *Charitatẽ.*
FILII *Redemtione,*
SPIRITÛS *promiſsione*
Audias fretos, PATER, *è Sione.*
Parce nobis abſolutis
Et levamen aſſecutis,
Spe Salutis re veniæquè tutis.
Quod Duces *nobis fideles*
Offerunt, MONARCHA Cœles
Facratũ! quin id meliùs reveles!
Dum iubent ut audiamus
Et Tuum Verbum *ſciamus,*
Exſequi fac id penitùs queamus.
Dumquè ſuadent TE *ſitire*
Ad Novum*què* fœdus *ire,*
Fac priùs, quæ das ibi, poſſe ſcire.
En, adeſt nobis Voluntas,
Attamen deeſt facultas,
Quam

Quam move per ſpes ſpeciesq́ꝫ cul-
Sublev a nos Te *ſequentes (tas!*
Debilesquè flecte mentes,
Sint ut in cœpto ſtudio frequentes.
Sub Tuo ductu vigemus,
Absquè Te *toti rigemus,*
Poſsidemꝰ nec, quibꝰ indigemus.
O ades ergò benignè,
Namque Te *ſonare dignè*
Pergimus, foti Pietatis igne.
Tu *ſonantes adiuvato*
Et Crucem ſtatam levato,
Poſtq́ꝫ mortem iunge Polo beato:
Eſt ubi perennis æſtas,
Quam piis, JEHOVA, *præſtas,*
O ſit eius perpetuò poteſtas! Amē.

„ *Fle, ſi ſolari: jejuna, ſi ſaturari:*
„ *Da, ſi ditari: ſervi, ſi vis dominari.*
„ *Si vis ſalvari, ſi perpetuoque beari*
„ CHRISTO *devotū ſtudeas te tradere totū.*

ODE

ODE CLXXXVIII. Ad S. Synaxin anhelantium.

„Jova Novi *pepigit nobiſcum fœdera* Pacti,
„ *Quæ nos ſervemus licèt aſpera tempora nacti:*

O DEUS Parens *honore digne*,
Tu *favoris excitatus igne*
FILIUM *nobis das benignè*,
Hic ut induens humanitatem,
Per Tuã, JEHOVA, *Charitatẽ*,
Redderet priſcã claritatẽ:
Quâ genus mortale vindicaret
Et Tibi Sibi*què vendicaret*,
Hoſtiâquè labem piaret.
Sit Tibi *laus ſempiterna* PATRI,
Quòd reos nos inferi barathri
Reddis Aetheri velut Matri.
CHRISTE JESU *Sontium Redemtor*,
Vinculorũ criminũq́ demtor,

Ac.

Ac furentis Mortis peremtor,
Pœnitentiam da ſic amemus,
Ut Tibi *veram fidem probemus,*
In novatâ vitâque ſtemus.
Hanc piè ſanctèque transigamus,
Angue peius crimen horreamus,
Et Statutis morem geramus.
Cœpta fine deduc, REX, *ſecundo,*
Et quietis confer dona Mundo
Officinis ſemper immundo.
In rei cuius perenne ſignum
Quemlibet fac, ô JEHOVA, *dignũ*
TE *videre* Patrem *benignum.*
Ut Tuæ Carnis, *Tui* Cruoris,
Ceû ſuperni perviique roris
Vim ſequamur, ob ſpẽ vigoris.
Hunc ad Almũ *congruumq́;* paſtum
Conferas cor, ô LYTROTA, *caſtum,*
Eximendo faſtum nefaſtum.
Ut Tuum *ſic* Munus *ambiamus,*
Nec

Nec Sacris de rebus ambigamus,
Donec ad Cælos confluamus! A.

ODE CLXXXIX. Ad Menſam DOMINI accelerantium.

„ *De* DOMINI *verbis ſervos dubitare ſuperbos*
„ *Eſſe nefas diſcas, neq; trux cinis amplius* (*biscas.*

CHRISTUS AGNUS Ille *purus*
Chriſtianis *ſe daturus*
Adquè PATREM *tranſiturus.*
Fœdus *atque* Pacis Aram
Condidit favore claram,
Non niſi malis amaram.
In Salutis *hacce* Mensâ
Singulari more tensâ
Dat piis beata penſa:
Nempè Corpus *&* Cruorem,
Mentis Enthea vigorem,
Gratiæ novumquè rorem.
Quisque credit hoc Piorum,

Cæ-

Cætui væ perfidorum,
Et catervis invidorum!
Sub meri panisquè *ſignis*
(Symbolis velut benignis)
Charitatis ardet ignis.
In ſupremæ noctè Cœnæ
Abrogatâ Lege plenè
Competenter ac amœnè,
Sumitote, dixit,*iſta*,
Fraudis absque labe miſtâ,
Ore, cordiumquè ciſtâ:
In mali remisſionem
In MEI*què mentionem,*
Et ratam redemtionem.
Quisquis obſequens ſit Illi,
Mente quamvis imbecilli,
Non timet caſum capilli.
Quisquis hæc autem profanat,
Vel tropis ſtrophisquè tranat,
Pronus ad pericla manat.

No-

Noſtra Mens *hic obſtupeſcit*
Et modum videre neſcit;
Per Fidem *ſed incaleſcit.*
Scrupulosè disputare
Vel Sophiſtas hic citare,
Eſt necem ſibi parare.
Simplici Fide *fatere*
Quicquid eſt Salutis *è re,*
Ac DEI Vocem *tuere.*
Quod-JEHOVA-*cunque fatur*
Omnibus punctis probatur,
Ejus *& tenore ſtatur.*
Fecit ILLE *cuncta Verbo*
Frena dans Mari ſuperbo,
Et Gregi minans acerbo.
Crede CHRISTO Chriſtiane,
Namque dicit cuncta planè,
Cogites ne quid profanè.
Ergò dum iubet Sacratum
Corpus *eſitare, gratum*

Cor

Cor geras & os paratum:
Dumquè Sanguinis *dat* uſum,
Crede mox, Eum *profuſum*
Omnibus, nec eſſe luſum.
IPSE *te vocat benignè*
Vtquè ſumas iſta dignè
Charitatis adflat igne.
Tu tibi noli deeſſe,
Fac ſed id quod eſt neceſſe,
Subveni mentiquè feſſæ.
*Ecce,*Panis *Angelorum*
Pabulum fit parvulorum
Hoc in Orbe Servulorum!
In figuris prænotatus,
Patribus diu dicatus
AGNUS HIC *fuit litatus.*
Spe quod hi, re nos habemus,
Si nefas tantùm cavemus
Ceû iubet PATER Supremus.
PASTOR *Alme, vere* Panis,

De

Des medelam Chriſtianis
Non ſatis ſuperquè ſanis!
Ut Tuo Cruore *poti*
Intus-extùs atque loti,
TE *ſequantur usque toti;*
Donec ad Polos vocentur
Cumquè Sanctis collocentur,
Nec magis malis rotentur.

,, Factorē *rerum, tibi dicere, credito, Verum;*
,, *Nec quicquā dubita, quin, ut* ait, *ſit ita.*
,, *Nempe* DEI fatū, *Velut aurū ſapè probatū,*
,, *Eſt purū, Verum, dulce, perenne, merum.*

ODE CXC. De Venerabili Cœnæ Dominicæ Sacramento.

,, *De* Sacrâ Cœnâ *rixarum ſunt fora plena;*
,, Quomodo *quum quærit, quisq; Venena ſerit.*
,, *Litera torquetur, neq;* Verax CHRISTUS *habetur:*
,, *Quod ratione capit cuiq; Sophiſma ſapit.*
,, *Nos tamen abjectis falſo cū Dogmate Sectis*
,, *Credamus* Fidei *fœderibusquè* DEI.

CHRI-

CHRISTE JESU, *noſtra vita,*
Dans Patrita, dans avita
Gaudiorum dona plena,
Magna prorsùs ac amœna.
Nos Tuos Ritus *ſecuti,*
Vtiles noſtræ Saluti,
Feriamur huic Coronæ
Ex Supremâ Iusſione.
Feriamur delicatis
Ferculis abs Te *paratis,*
Corporis Tui *vigori,*
Et Tuo *Sancto* Cruori.
Hæc *enim beata* Cœna
Eſt Sacro Favore plena,
Gnara nos ad ſempiternum
Hoſpites parare Regnum.
Dicta Panis Angelorum,
Eſt Viaticum Piorum,
Qui bonorum calle morum
Ad Domos eunt Polorum.

Laus

Laus Tuæ Crucis *probata,*
Mortis *atra cura grata,*
Paſſionis *fama dura,*
Gloriæ *pignus futura.*
Flos opum, Regale donum,
Veritas promiſſionum,
Suavitas cupediarum,
Plenitudo Gratiarum;
Quam Tuis prodeſſe Gnatis
Ceû tholos Hereditatis
Sanxeras, ô REX Beate,
Ex ſtupendâ largitate!
Ecce, Sacrâ ſunt in Arâ
Dona Sancta, *dona cara!*
En, Tuæ *nunc,* CHRISTE JESU,
Pabulamur carnis *eſu!*
En, datur nunc delibutis
Victus æternæ Salutis,
Eſca, potus; *ambo gratis,*
Omnibus gratis vocatis.

Aa *Qua*

Qua Tuâ nos Pace lætos,
Conſcientiis quietos
Dennò Tibi *refingunt;*
Vndè Mundi Regna vincunt.
Cujus eſt vis tanta linguæ,
Tam benignum, tamquè pingue
Qui ſit hoc referre dignus
Munus, & fidele pignus?
Quod piè donare nobis
Pergis, ò SERVATOR *Orbis,*
Huce languidis in oris,
Pignus intimi favoris.
O amabilem favorem!
O cibi gratum ſaporem!
O ſtupendam Charitatem!
O profundam largitatem!
Cum cibis his *quid prehendo?*
Conferunt quid, ſic alendo?
Cum Sacro Corpus Cruore
Pro diata ſaniore!

Quid

Quid magis legare quivit
Antequam mortem ſubivit?
Corpus *hic* Suum *edendum*
Sanguinem *dedit bibendum.*
Quisque VERBO *credat* Ejus,
Nam quid ambigente pejus?
De Cibo *vix ſumet* iſto
Perfidus, non dante CHRISTO.
Ambigenti namque nil dat:
Hic oportet quisque fidat
Eſſe vera dona CHRISTI,
Nec putet phantaſma ſiſti.
Non Suum *Phantaſma dixit*
Eſſe Corpus; *ſed refixit*
Paſcha Fœderis *recentis,*
Chriſtianæ *Paſcha gentis.*
Edamus mente grata
Eſculenta tam beata!
Da PATER Redemtionis
His fruamur ritè donis!

HOSPES Alme, *Fautor Orbis*,
Languidos preſſosquè morbis
Perge nos Tuo *cibare*
Pane, Potu *recreare*.
Fac Fide, fac Charitate
Copulati ſimus à TE!
Donec ad Cœli Cohortes
Hoſpites Tuos reportes. Amen!

„ *Ad* ſecreta Poli *rationem trudere noli*,
„ *Nam dolet Alma Fides ſi ratione Vides*.

ODE CXCI. De Salvifico Sacramenti Cœnæ Dominicæ Myſterio.

„ *Mirari non rimari* Myſteria *debes*,
„ *Quæ nec mens demens, nec capit Auris Lebes.*

DE Chriſtianâ *qua* Synaxi *ſen-*
Non transigam ſilentio (*tio*
Sed confitebor, id vidente ſæculo,
Ac invidente cæculo:

Quòd

Quid nempè CHRISTUS IPSE
Carne *me* Suâ
Paſcat potenter arduâ,
Suoquè *potet roboretquè* Sanguine,
Sacro velut piamine.
Procul trepos hinc & figuras arceo,
Mentisquè vim coërceo.
Sunt nempè CHRISTI *vera* Verba, *ſunt* Fide
Tenenda, ſed non languidè.
His fretus, Ejus *hîc piè* præſentiam
Credo, licèt vix ſentiam.
Hûc, hûc fideles ergò crebri currite,
Mecum precesquè fundite!
Mundi ruinã nam minantis hoſpites
Sumus, parùm ſed ſoſpites.
Quid reſtat? hinc ut exeamus! At Fidem
Non exuamus obſidem.
CHRISTI Caro *nos atque* Sanguis *uniant,*

Spem languidamquè muniant;
Ut roborati tam beatis pabulis
Levemur à piaculis! Amen.

ODE CXCII. Pro ſalutari Corporis & Sanguinis CHRISTI uſu gratias agentium.

„ *Solve* DEO *gratas devoto pectore grates,*
„ *Nec mox triſteris, ſi Cruce tactus eris.*

D*Um* Sacris *vacamus*
Gratias agamus
Omnium fidelium PARENTI
Dona *ferenti:*
Dona *magna certè*
Gratiæ *reperta,*
In quibus Favor DEI *niteſcit,*
Fallere neſcit.
Namque Carnis *eſu*
Nos Supreme JESU
Sanguinis Tui *Scyphoquè ſanas,*
Pectora planas.

Quàm

Quàm Benignus Es Tu
Sub doloris aſtu,
A fidelibus Tuis miſellis
Dum mala pellis!
Dumquè ſemper aſtas,
Et furoris haſtas
Queîs Satan piis cupit nocere,
Scis removere!
Magnus Es *Creando,*
Major *adiuvando,*
Maximus *ſalubriter cibándo,*
Et bona dando.
Cara cuncta Cælo
Mittis ex anhelo,
Charitate quando nos coronas
Panequè *donas.*
Panis *iſte Vitam*
Dat piis avitam,
Cara *purpurat* Caro Cruorquè
Cælite torque.

Cariora nemo
Sub Polo ſupremo
His Tuis *poteſt habere* donis
Ad Sacra pronis.
Fac idem deinceps,
Gratioſe PRINCEPS;
Daquè ſemper hæc obire Vitæ
Pabula ritè!
Hæreſis quieſcat,
Quæ malos ineſcat,
Et ruat cum noxiis Sophiſtis
Pſeudoquè-Chriſtis.
Una Mens *ſit* Aris
Veritate *claris*,
Vt ſciant quid obſtet hisce morbis
Totius Orbis:
Vtquè Pace *fulti*
Moribusquè culti,
Confluamus ad Superna *læti*
TE Duce *freti.*

O fas-

O fac id CREATOR,
Tuquè LIBERATOR,
SPIRITûs *pios foventis* igne,
JOVA *benigne!* Amen.

ODE CXCIII. è Bohemicâ B. Huſſii cantione Euchariſticâ.

„Angelicus Panis *de Cælis Venit ad ima,*
„*Cũ jam-jã Mundũ ſuccideret ultima lima,*
„Hunc *præmonſtrarunt Lex, non unumq; Pro-*
pheta. *(laude repleta.*
„CHRISTUS Is *eſt;* CHRISTI *ſunt omnia*

O CHRISTE *Summe Pontifex,*
Cum PATRE, FLATU, *Die*
Quàm nos iuvant opes Tuæ *(Rex,*
Perardua!
Es *ſervulis* præſens *Tuis,*
Amplexibusquè mutuis
Foves Pios, nec deſeris
Sub aſperis.
Dum ſchema ſervuli geris,

Bolos Adami digeris,
Doloſquè frangis Dæmonis
Sacris ſonis.
Tu *lytra ſolvis in Cruce,*
Vt nos vel iſto traduce
Ad PATRIS *attrahas* thronum,
Bonis bonum.
Tu *nos paternè diligis*
Tu *protegis,* Tu *dirigis,*
Tu *paſcis, & potas ſatìs*
Menſis ſtatis.
Tu Corpus *atque* Sanguinem,
Cordis Tui propaginem
Das Chriſtianis; *id ſciant*
Qui deviant!
Tu *deviantes convocas,*
Et in Tuo ſinu *locas,*
Eccleſiam *quem dicimus*
Qui diſcimus.
Magno Tibi *nos æſtimas,*

Vt è periclis eximas,
Quæ pertinaces obruunt,
Non abluunt.
Modus nec ullus eſt Tuis
Donis piis & arduis,
Maiora quin des omnibus
Petentibus.
Vnitus Es *nobis ita,*
Vitá Piis ut reddità
Mortem domares funere,
Sat aſperè!
Emtor videris haud malus,
Qui, *detur ut nobis Salus,*
Emis Tuâ *nos hîc* prece
Quin & nece.
Cuius rei pro pignore
Iubes nos hoſpites *fore*
Cœnæ Tuæ, *quam ſanxeras*
Dum planxeras.
O Gratiam *ingem Tuam,*

O Charitatem *mutuam!*
Væ reſpuenti, væ malo
In hoc Salo!
Heûs Chriſtiani *ſurgite*
Ex hocce labis gurgite!
Vobis paratur hic cibus
Currentibus.
Adeſte ſimplici Fide
Sub ſempiterno PRÆSIDE;
Nil infidelis hic valet,
Spe nî calet.
Affixe pro nobis truci,
O AGNE Cæleſtis, *Cruci,*
Da Te *fruamur, ut iubes;*
Væ nî iuves!
Iuvabis autem iugiter
Noſtrumquè diriges iter,
Vt Te *queamus cernere*
In Æthere!
Ibi *perennis eſt* Sion,

Ibi

Ibi *canunt* Triſagion,
Omnes DEI *Satellites*
Et Cælites.
Ibi *mali carentia;*
Ibi *Boni præſentia:*
Ibi Beata TRINITAS
Et UNITAS.
Huic *vota demus hic piè,*
Vt ultimo nos hinc die
Perducat ad SE, *credulos*
Clientulos! AMEN.

ODE CXCIV. De variis Nominibus ac Beneficiis CHRISTI.

„*Cùm pia Poſteritas* CHRISTI *benefacta revolvet,*
„*Tum demum ſapiet, Præcepta nec Enthea ſolvet.*

REX CHRISTE, Lumẽ *Gentiũ,*
Et Soſpitator *mentium,*
Laus ſit Tibi, *quòd nos regis*

Tanquam Tui cœtum Gregis.
Tu PATRIS *almi* FILIUS
Iconquè *Vultûs* Illius
Mundi piâſti debita,
Salute *nobis redditâ.*
Adam levatur crimine
Cum poſterorum germine
Tuo potenti funere,
Quid maius iſto munere?
Tu Semen *almum Feminæ*
Es *de* Sacro SPIRAMINE:
Tu *colla Ditis atteris,*
Et milites Dux *aſſeris.*
Tu *vulneratos Aſpide*
Sanas tuentes TE *Fide,*
Placas PATREM, *beas reos,*
Flos, Hircus, Anguis, Ara, Ros.
Tu *verus* Agnus Es *Phari,*
Moſisquè Ductor *in Mari;*
Præis columna *de die*

No-

Noctuquè fax, comes *Viæ.*
Tu Manna, Tu *menius* cibus,
Senis-bis Iſraël tribus
Per octo luſtra paveras,
Arentibusquè fons *eras.*
Tu Vita *mortuos moves,*
Morſuquè ſaucios foves,
Agoniâ Tuæ necis
Ac efficaciâ precis.
Da fonte *luſtrari* Tuo
Cernique viſu congruo
Luci Tuæ; da mentibus
Lumen, Fidem *da cordibus:*
Vt TE *queamus prendere*
FLATÛS *Sacrati munere,*
Intrinſecoquè lumine
Ac myſtico libamine.
Da JOVA *guſtum* Gratiæ
Hauſtu Sacra ſcientiæ,
Vt TE *colamus agnitum,*

Cum

Cum PATRE, GNATUM, SPI-
Noſtrũ Magiſtratũ *rege*, (RITUM
Cum Subditiſquè protege:
Verbi Miniſtros *Cælicâ*
Benignitate colliga!
UNUM *profeſſi* TE *colant*
Dum mente Cælos pervolant
Fidelitate debitâ,
Dilectione præſtitâ.
Ceſſet ſimultas invida
Cum bile mentis lividâ;
Fructus bonos gignat Fides,
Per Charitatis *obſides.*
Fac Æquitatem *diligant,*
Nec Unitatem *negligant.*
Sint hoſpitales advenæ
Nudumquè veſtiant benè.
Incarceratum viſitent,
Solentur ægrum, militent
Adversùs hoſtem Dæmona

Sub

Sub conſcientiâ bonâ
Stes parte pro noſtrâ DEUS,
Verbiquè *cultus entheus*
Nos formet ac firmet Fide,
Ne corruamus perfidè.
Quin hactenus nos hic ſitos,
Tibiquè, CHRISTE, *deditos*
Poſt huius ævi tranſitum
Duc ad Salutis *exitum:*
Vt in quiete pectoris
Et Pace gratâ temporis
Tecum *queamus vivere*,
Sub Lucis Almæ ſidere. Amen!

ODE CXCV. De Glorioſiſſimâ Reſurrectione D.N.J.C.

Gnate DEI, *miſerere mei, per ſigna Trophæi,*
De Phlegetontæi tuleras quæ Marte Typhæi.

INteremtor Inferorum
Spes, Salus, Tutor Piorum

CHRI-

CHRISTUS, *æterni* PARENTIS
Fine, FILIUS, *carentis*,
Ex *Iudæâ pravitate*
Et Stygis perverſitate
Ad Crucem damnatus ante,
Sole ſurgit emicante.
SUScitatus vi Paternâ
Regna tendit ad Superna;
Gaudeamus ergò læti
Redditâ ſalute freti.
CHara *Gens adeſto*, CHRISTUM
Suaviter canas ut Iſtum
Morte qui *vitam paravit*,
Dæmonemquè ſubiugavit.
RIdeat *trux hoc Apella*
Muta morſicans labella;
Nos triumphanti *canemus*
Liberèquè ſerviemus!
STentor *ille*, *Pluto dirus*,
Callidus, *valdèquè mirus*,

Diſ-

Diſſipare vellet auſu
Quod paramus hocce plauſu.
USquequò DEUS *tacebis?*
Vsquequò Satan nocebis?
Siſte ſed gradum furentem,
Nec magis velato mentem.
Surgit,en, JEHOVA *fortis*
Infera victor *Cohortis,*
Qui *Salutem*, quivè *vitam*
Attulit nobis cupitam.
AL*ter eſt Simſon hic* Ille
Quem Stygis tremunt favillæ;
Iam triumphat, & ſuorum
Aſſerit res ſervulorum.
VA*ſtus irâ clamet Orbis,*
Mors minax ſit ipſa morbis:
Vix minacem quis timebit
Aut ferocem ſuſtinebit.
TOR*peant livore cunctis;*
Nos gravi pavore functi

TE Redemtorem *canemus*
Perpetimquè diligemus. Amen!

ODE CXCVI. De eâdem Solennitate.

„ CHRISTE, *mori* Tecum, Tecumq; *reſurgere tento,* (*tento!*
„ Tu *fer opem miſero, ſtimulumq; relinquito*

JEsus *triumphat*, Victor *(evax!)*
Qui *fulmẽ ira Patriũ (omniũ,*
Lenivit, ac Suo gravi nos funere
Extraxit Orci carcere.
Qui *labis expers nat9 eſt, Re9 fuit,*
Pœnasquè pro nobis luit;
Litẽ diremit, nosq; PATRI *nexu-*
Qui *non magis nos reſpuit.(it;*
Peccata, Mors, Dæmon, Poliq; mune-
Hærent ſub Ejus Dexterâ. *(ra,*
Poteſtq; vultq; ſublevare fortiter
Seſe *colentes puriter,* Amen!

ODE CXCVII De eâdem.

„ Autor *adeſt* vitæ! *Metus, Mors, Sors triſtis abſite!*
„ *Fautor* Is *eſt Summus, nos ſua membra ſumus.*

CHRISTI *triumphus haud parùm*
Perculſit olim Tartarum,
Dum trophæa fixit audens
Hoſtibus dixitq́ plaudens.
O Mors meo morſu cades!
Trux Orce, quò ruas, ades!
Nam meos Fratres voratis:
Conteram vos, hoc ſciatis.
Mors antra faucis exeris,
Quosvis necas, glutis, teris!
Næ, meos iam vindicabo,
Tequè rursùs devorabo.
E vi tuâ, ceû Lazarum,
Sic omne (ceſſato parùm!)
Corpus extraham potenter:
Nunc licèt furas nocenter.

Gra-

Grates Tibi JESU *cano;*
Quòd fulſeris Mundo Plano,
Morte frangens vincla Mortis,
Nos beatis infer Hortis! Amen.

ODE CXCVIII. De eâdem Feſtivitate.

„ *Cælum, Terra, Fretum, ſit* CHRISTI *Numine lætum:*
„ *Pendet ab* Hoc Solo *Mens pia, fixa Polo!*

P *Laudat Chorus Cæleſtium,*
Piusquè Grex Terreſtrium
Perſolvat ore gratias,
Pandat DEI Victorias.

E *n,* REX *perennis* Gloriæ
Et Dux *cohortis deviæ*
E Morte Victor *emicat,*
Et ceù *Polo* Sol *albicat.*

T *ollit necis priſca decus,*
Temnitquè tam brutum pecus:
Terret Draconis atria,

Tu-

Tutus PATERNA Gratiâ.
R*eddit Tyrannis præmia*
Rei Sacra vindemiâ,
Rependit amiſſum priùs
REX, *ſubditis Decus*, Pius:
V*ivusquè rurſus cernitur,*
Victor *magis nec ſpernitur:*
Vim namque Mortis abstulit,
Vitamquè nobis attulit.
S*imſon velut fortiſſimus*
Samgarvè robuſtiſſimus,
Sic Ille *fregit ſingula*
Stygis ferocis vincula.
M*ortem fugavit, Patriis*
Miſſus Poli Dux Atriis,
Mundum piavit crimine
Multo redemtum Sanguine.
A*mœna Cæli munera*
Ad Regis hujus *funera*
Allata ſunt credentibus,

Ab

Ab Hoc *Fide pendentibus.*

Creata *cuncta ſentiunt*
CHRISTI *favorem geſtiunt*
Campis in amplis corpora,
Comptisquè ſylvis robora.

Ejus *Polus* Potentiam,
Et Terra noſcit Gloriam,
Et quicquid undis mergitur,
Et quicquid Orbe ſpargitur.

R*urſus vireſcunt gramina,*
Reddunt Aves iam carmina,
Ranæ coaxant, Anchora
Relinquit audax littora.

A*ſpis latebras deſerit,*
Apis labores exſerit
Ardore mellis, paſcua
Ambit pecus rurſus ſua.

L*abant recurva flumina*
Leni ſono, nec agmina
Latent ſub undis piſcium,

Lau-

Laudant ſed Autorem pium.
E*n, ſpirat aura molliùs,*
Et ventus afflat ſuaviùs;
Exurgit undis Sol priùs
Et occidit ſalubriùs.
Tuam *ſonat* Victoriam,
Tonatquè paſſim Gloriam,
Telluris obvium decus,
TE *concinens forinſecùs.*
O CHRISTE *noſtra Gloria,*
O Alme Dux, nos Gratiâ
(Oramus) agros aſſere,
Omnes Tibi *fac vivere!*
S*urgamus ut* Tecum *piè,*
SERVATOR, *hocce, fac, die;*
Sonemus & TE *carmine*
Sacro *redemti* Sanguine.
I*udex Polo dum veneris*
Ictus malis rependeris,
Ignoſce nobis crimina

In Sancta deduc Agmina:
C*unctis diebus ut* Tibi
Canamus, Alme REX, *ibi*,
Cum PATRE *cumquè* FLAMINE
Culto per ævum carmine. Am.

ODE CXCIX. VERNALIS, in prædio N.N. recèns ſtructo decantata.

„ *Quæ Tellus fœcundâ ſinu producit amœno,*
„ *Cuncta* DEO *nobis, tubulo ceû fundit aheno.*

Q*Viſquis à viâ recedes*
Has recèns ſtructas in ædes,
Et placebit iſta ſedes;
Eia, nobiſcum precare,
Sive cantes, ſeû loquare,
Seû velis ſic cogitare:
Cuî *fluunt rivi profundi*
Fabricator *Summe* Mundi,
Rex *potens Maris profundi.*
Talium Cuſtos *ſtruicum*

O Ju-

O Jubar *vernans apricum*
Floridis Hortis amicum,
Hanc Domum vilem tuere,
Fac eam diu vigere,
Hoſpites lætos videre.
Hûc ratum fac eſſe greſſum,
Proſpera nobis regreſſum,
Nec ſinas nos ire peſſùm.
Da piè foris vagari,
Pace *ſalvâ congregari,*
Non feris rixis gravari.
Da modeſtè gaudeamus
De BONO TE *concinamus,*
Verba caſta conferamus.
Da bonum potare potum,
Sit procul nobis remotum
Fel, nefas, crudele votum!
Nam ſcyphi nati piorum
Sunt in uſum gaudiorum;
Hoc tenere, fac, decorum.

Arborum frugumquè Cuſtos,
Qui *tuis das eſſe iuſtos*
Fructibus veris onuſtos,
Da Tuis Bonis *fruamur*,
Mente gratâ TE *ſequamur*,
Proximisquè largiamur.
Vitis Es, *Tuas ad Arces*
Palmites duc nos feraces,
Diſſipa curas edaces.
Es Parens, *nos eſſe gnatos*
Fac Tuis Hortis beatos,
Fontibus vivis rigatos.
Paſtor Es, *reduc vagantes*,
Rex Es, *edoma Gigantes*
Obſtinatè dimicantes.
Hoſpes *ò active* iuſte,
Pervicaces pelle fuſte,
Dent locum Paci venuſta!
Fons *aquæ perennioris*,
Roris atque donâ floris

Fer

Fertiliſquè, fer, vigoris:
Vt ſatis quod eſt habentes,
Bella nec magis paventes
Labe reddamur carentes;
Poſtquè ſortis huius uſum
Mortis impetu profuſum,
Ferre des in Axe plauſum! Amē.

ODE CC. De Veris amœnitate, ruſticæq; Vitæ jucunditate.

„ *Non mihi ruſticitas, ſed ruſtica Vita probatur,*
„ *Felicemquè puto cui ſine labe datur.*

VErnalis *agros rursùs* Aura *proſperat,*
Nec nos magis nix aſperat.
Linquamus Vrbes, ô Amici, *fumeas,*
Res Curiaquè plumbeas!
Foràs eamus, & laboremus foris,
Bacchi relictis amphoris.

Contrariũ qui conſulit, parùm ſapit,
Nec laudis unciam capit.
Nam nil habetur ruſticâ vitâ *prius,*
Nil exſtat hacce charius.
Hac innocenter quæritat victũ ſibi,
Luxumquè negligit cibi.
Hæc pocla miſcet dulciora nectare,
Hac gaudet herbido Lare.
Flores olentes hæc habet pro lectulo
Ab aureo mox ſæculo (Duces
Primi Parentes hanc amârunt, &
Suas levârunt hâc Cruces.
Auras & aures liberas hæc posſidet,
A litibusquè disſidet.
Pax ô *ſit* Alma! *Vita me talis feret,*
Et ad Supernam transferet! Am.

ODE CCI. De fauſtiſſimâ feſtiviſſimâq; CHRISTI in Cælum Aſcenſione

„Pro-

„ *Propterea* CHRISTUS *voluit conſcendere Cælum,*
„ *Vt ſupero denſum removeret ab Æthere velum,*
„ *Susciperetq; ſinu Servũ gratanter anhelũ.*

EN, CHRISTUS *Aſtris redditur*
Finiens laborem,
Ampliùs nec læditur
Morem
Dum gerit PARENTI
Omnibus faventi
Suis fidelibus.

Triſtes erant Apoſtoli
Paſſione CHRISTI;
Quòd tot impii doli
Siſti
Debuêre morte,
Anxiâquè ſorte
Cæleſtis Arbitri.

Sed cùm ſepulchro ſurgeret
Gaudio caleſcunt,
Cùmquè Cælum ſcanderet

Creſcunt
In Fide, nec hoſtes
Tartariquè poſtes
Verentur ampliùs.
Virtute Sancti PNEVMATIS
Deindè roborati,
Nil moventur ſcommatû,
Fati
Caſibusquè duri,
Spe Boni *futuri*
Guſtuquè præditi.
Sic namque Dux *eos* Bonus
Ad Crucem paravit,
Et viam per trux onus
Stravit,
Suſtinens labantes
Dirigensquè ſtantes
Sacro levamine.
O quale gaudium fluet
Cœtui fideli,

Quis-

Quisque dum Civű cluet
Cæli
Municepsquè CHRISTI,
Cujus *arma ſiſti*
Nullis queunt modis?
Illic *beata manſio*
Præparata rectis,
Equè fluxis ſcanſio
Tectis
Ad Poli Diætam,
Vndiquaquè lætam
Solatiis DEI.
Hanc tempus æſtivum notat
Frugibus decoris,
Quando Sol frigus rotat,
Horis
Purpuratquè gratis,
Et cibos palatis
Præbet benigniter.
Æſtas perenni Gloriæ

Comparatur aptè,
Quum decus Victoriæ
Altè
Singulis Beatis
Conferetur, actis
In Templa Gratiæ.
Hinc Ver in ævo perpeti
Sentient Fideles,
Quò favore præpeti
Cæles
PNEVMA *ducit illos*
Quamlibet puſillos,
Gratos tamen DEO.
Poſt huius Orbis aſpera
Fata, poſtquè funus,
Dat JEHOVA *proſpera,*
Munus
Iuge datquè vitæ
Tam diu cupitæ
Votis frequentibus.

Vi-

Vita ſed huius oſtium
Audit Ipſe JESUS,
Cùmquè per negotium
Laſus
Vult quis introire,
Hunc ſinit venire
PARENTIS *ad Thronum.*
Iuva JEHOVA *conſequi*
TE *Tuumquè* GNATUM,
Entheumquè *proſequi*
FLATUM
Laude ſempiternâ:
Gratiâ paternâ
Nos interim move. AMEN!

ODE CCII. De Eâdem Aſcenſione CHRISTI ſalvificâ.

„ *Aſcenſus* DOMINI *commodus eſt Homini!*

QVid elevatū, *poſcit Homuncio* FRATREM? *quid orat, Solis in atrio*

 Dex-

Dextræ PARENTIS *aſſidentē?*
Omnequè ferre Bonum potentem?
Non æſtuoſa grata Calabriæ
Armenta, gemmas, aut ebur Indiæ;
Non rura, non domos opimas,
Sardiniæ ſegetesquè primas.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Vineta Princeps! qui decus exedit
Turba fidelis, eſto, turget,
Armaquè dote refertus urget!
Clarus triumpho ſit ter & ampliùs,
JESU *colendo calcitret acriùs,*
Divina doctus aucupari
Regnet, ametquè Deus vocari!
Frui ſacrato *da mihi* FLAMINE,
Da, CHRISTE præſens! Te *quid agam ſine*?
Tuere corpus atque mentem
TEq́; Tuoq́; Sono *vigentem*. A.

„*Me*

„ *Me recreat* CHRISTI *præſentia, tempore triſti,*
„ *Dulcis in exilio, fortis in auxilio.*

ODE CCIII. De auſpicatiſſimo & efficaciſſimo Nomine CHRISTI, centies hîc repetito.

„ *Eſt Anima Xyſtus, Medicamen, &* omnia CHRISTUS.

N*ovum ſonabo canticum, conſurgite,*
Quotquot iacetis in dolorum gurgite!
Hîc ſentietis recreamen entheum,
Vobis adeſſe cùm videbitis DEŨ.
Scopus quis huius Cantici ſit, quæritis?
Eſt CHRISTUS, *in* quem *Chriſtiani creditis.*
At qualis Is *ſit, ſi rogando pergitis,*
Scietis, Oden ſi meam perpenditis.
Eſt FILIUS DEI, *Satorq́ Cælitum,*

Perenniumq́; Signifer Satelliũ.
HOMO-DEUSq́; CHRISTUS *eſt, eſt omnibus*
Ob Abrahamum Vita Nationibus.
IMMANUELq́; CHRISTUS *eſt ſedentibus* (tibus.
In mortis umbrâ, nec Stygi ceden-
Imago Patris CHRISTUS *eſt, eſt Conditor,*
Fideliũq́; ſub malis abſconditor.
Melos gravatis CHRISTUS *eſt in auribus,* (cordibus.
Mel eſt amaris ſuave CHRISTUS
CHRISTUS *ſuprema prænitensq́; Claritas,* (Charitas.
CHRISTUS *benigna nec tenax eſt*
CHRISTUS *beata Cæles eſtq́; Veritas,* (Sinceritas.
CHRISTUS *perennis pectorum*
CHRISTUS *viris eſt anxiis ſolatium,* CHRI-

CHRISTUS *repulſis à Domo Palatium.* (*peculium,*
CHRISTUS *piis eſt optimum*
CHRISTUS *famentes recreans edulium.* (*oſtium,*
CHRISTUS *Salutis in Supernis*
CHRISTUS *repulſor atq; Victor hoſtium.* (*gementibus,*
CHRISTUS *lubido mentibus*
CHRISTUS *cupido ſenſibus tepentibus.* (*Clientibus,*
CHRISTUS *Patronus eſt probis*
CHRISTUS *Voluptas gaudiumquè flentibus.* (*Clementiæ,*
CHRISTUS *tribunal eſt potens*
CHRISTUS *piator omnium dementiæ.* (*Scientiæ,*
CHRISTUS *ſalubris eſt latex*
CHRISTUS *levamen ſuave Conſcientiæ.*

CHRI-

CHRISTUS *peregrinantibus*
viaticum, (*dus Arcticum.*
CHRISTUS *Sacrum Ius, atq; Si-*
CHRISTUS *lucerna devianti-*
bus vagis, (*apta naufragis.*
CHRISTUS *columna ſemper-*
CHRISTUS *Corona Regibus po-*
tentibus, (*petentibus.*
CHRISTUS *Carina Patriam*
CHRISTUS *Magiſter omnibus*
diſcentibus, (*bus Docentibus.*
CHRISTUS *Didactron omni-*
CHRISTUS *Redemtor & Caput*
volentibus, (*lentibus.*
CHRISTUS *medela ſauciis do-*
CHRISTUS *Salus & Arbiter*
vigentibus, (*rigentibus.*
CHRISTUS *quies eſt ſub iugo*
CHRISTUS *fidelis eſt Scopus*
currentibus,

CHRI-

CHRISTUS *benignus eſt Dator*
carentibus, (*bus,*
CHRISTVS *Salutis Ara confitenti-*
CHRISTVS *feneſtra clara confi-*
dentibus. (*tentibus,*
CHRISTVS *palæſtra chara pœni-*
CHRISTVS *ſtatera cara Spe ni-*
tentibus. (*reſtrium,*
Monarcha CHRISTVS *gentium ter-*
Idea CHRISTVS *Cœtuũ Cæleſtiũ.*
Securitas eſt CHRISTVS *ambu-*
lantium, (*tantium.*
Salubritas eſt CHRISTVS *ægro-*
Hereditas eſt CHRISTVS *exulan-*
tium, (*lantium.*
Feſtivitas eſt CHRISTVS *eiu-*
Facunditas eſt CHRISTVS
ignorantium, (*digentium.*
Fœcunditas eſt CHRISTVS *in-*
Felicitas eſt CHRISTVS *obſe-*
quentium, *Ve-*

Velocitas eſt CHRISTVS *aſſe-*
quentium. (*æſtuantium,*
Tranquillitas eſt CHRISTVS
Amœnitas eſt CHRISTVS *hy-*
bernantium. (*tantium,*
Iucunditas eſt CHRISTVS *exul-*
Celebritas eſt CHRISTVS *id*
vulgantium.

Vis plura? CHRISTVS *eſt bonis*
amabilis, (*affabilis,*
Quin imò CHRISTVS *eſt bonis*
In Orbe toto CHRISTVS *eſt mi-*
rabilis, (*parábilis.*
Et Spe Fidequè CHRISTVS *eſt*
Ob Charitatem CHRISTVS *eſt*
placabilis, (*ſtabilis,*
Amore vero CHRISTVS *eſt tra-*
Præ Patriarchis CHRISTVS *eſt*
notabilis, (*portabilis.*
In cordis arcâ CHRISTVS *eſt*

So-

*Soliq́; Menti*CHRISTVS *eſt pal-*
pabilis, (*culpabilis.*
Nec vel in irâ CHRISTVS *eſt*
'ptata CHRISTVS *eſt piis Soda-*
litas, (*Veracitas.*
Promiſſionum CHRISTVS *eſt*
Verbi DEIq́; CHRISTVS *eſt Au-*
toritas, (*formoſitas.*
Credentiumquè CHRISTVS *eſt*
Myſteriorum CHRISTVS *eſt*
ſublimitas, (*antiquitas.*
Et Bibliorum CHRISTVS *eſt*
Eſt grata CHRISTVS Angelis in-
tegritas, (*immenſitas.*
Et Gratiarum CHRISTVS eſt
Fideliumq́; CHRISTVS eſt be-
nignitas, (*Divinitas.*
Et Iuris Almi CHRISTVS eſt
Vita beata CHRISTVS eſt ſe-
renitas,

Gau-

Gaudentiumq́, CHRISTVS eſt perennitas. (ſuävitas,
Et Canticorum CHRISTVS eſt
Et Præmiorum CHRISTVS eſt æternitas. (ditiſſimus,
Servator Orbis CHRISTVS eſt
Salvator Orbis CHRISTVS eſt mitiſſimus, (citiſſimus,
Sanator Orbis CHRISTVS eſt
Tranator Orbis CHRISTVS eſt ſcitiſſimus. (ſanctiſſimus,
Et fabricator CHRISTVS eſt
Et applicator CHRISTVS eſt blandiſſimus. (fortiſſimus,
Redintegrator CHRISTVS eſt
Et Pacis Autor CHRISTVS eſt promtiſſimus, (ſuaviſſimus.
Et Prædicator CHRISTVS eſt
Et Præliator CHRISTVS eſt gratiſſimus.

Fi-

Fideque-iuſſor CHRISTVS *eſt charisſimus,* (*clarisſimus,*
Et Præmiator CHRISTVS *eſt*
Legiſq;-lator CHRISTVS *eſt certisſimus,* (*iuſtisſimus.*
Et Ponderator CHRISTVS *eſt*
Deliberator CHRISTVS *eſt doctisſimus,* (*aptisſimus,*
Et Liberator CHRISTVS *eſt*
Illuminator CHRISTVS *eſt latisſimus* (*altisſimus.*
Et Iudicator CHRISTVS *eſt*
Remunerator CHRISTVS *eſt lectisſimus,* (*latisſimus.*
Reſcuſcitator CHRISTVS *eſt*
in plura? ſacræ *te docebunt* Literæ,
Quas JOVA *miſit de Supremo Sidere*; (Nomina,
Nihil magiſq; ſunt DEI *quàm*
Et ſempiternæ Charitatis Omina.

Omnes

Omnes *proindè* Chriſtiani *ſurgite*
Quotquot iacetis in dolorum gur-
gite! (*Solo*
IESVS iuvabit, & iubebit, in
Vt PAX *ſit* Alma, *miſſa rurſus è*
Polo! Amen.

ODE CCIV. Ἐπαινετική, pro variis Bonis ac Donis cælitùs impetrandis.

„ *Exere* IAH *Vultus, ne Grex Tuus erret in-*
ultus, (*multus,*
„ *Hoſtis adeſt multus duplicans hinc-indè tu-*
„ *Ejus at inſultus ruat, atro crimine fultus!*

CHRISTE JESV *præpotens Poli So-*
liq̃ Rector
Summe pœnitentium refector,
Quem *colunt creata cuncta latè,*
Diligamur, da, recenter à TE!
Sub Tuas *nos ſempiternas convola-*
mus Alas

Non

Nõ habentes præter haſce ſcalas,
Quæ Polo nos ſiſterent Supremo,
E Soliquè tollerent Eremo.
Te precamur, ô Superni PATRIS
Alma Proles,
Da videre, poſt tot aſpra, Soles
Veritatis, *& quietis almæ,*
Vt reſurgant laudis indè palmæ!
Vtq; Pacẽ *tot piis ſuſpiriis vocatam*
Conſequamur, è Solo fugatam,
Bellicosquè perſequamur auſus;
Ob fluentes hoc ab amne plauſus!
Suſtineto nos ſubindè per malum ruentes,
Entheo*què* pabulo *fruentes*
Firmiores redde, ne qua mentem
Tela vulnerent Polos petentem.
REdde nos gratos Tibi, Tuo*què* *CHRISTE PATRI,*
Vt videns id anxius Barathri
Hor-

Horreat Dux, nec magis rigores
Vibret in Gregis Tui *vigores,*
DEMe iam triſtas Tyrannidi pius nocenti.
Daquè Verbo *Gratiam* docenti,
Hæreſesquè noxias repelle,
Ex ovillâ protrahasquè pelle.
TORtuoſa quæ fuêre, ſint deindè recta.
Nosquè ſemper ad Superna Tecta
Cogitemus ire, TE *iubente,*
Nosq; ſub periculis iuvante. Am.

ODE CCV. Ad CHRISTUM Salvatorem Servatoremquè clementisſimum.

„ *Quæ tua ſunt, cura,* CHRIST *& committe futura:* (*dabit,*
„ *Promisſis ſtabit* CHRISTUS, *opemquè*

FILI DEI *Sanctiſsime*
Redemtor *auguſtiſsime,*

Qui

Qui *natus* Es *de Virgine*,
Non è Virili ſemine.
Precamur Almi *SPIRITVS*
Chariſma *confer Cælitùs*;
Vt cor repurget lumine
Erroris actum turbine:
Et gignat hîc Concordiam,
Pellens procul Diſcordiam;
Eccleſiæ *ſervet* Decus
Diras Stygis claudens ſpecus.
Fac nos Salutem *quærere*,
Vita viâquè pergere:
Concede felices dies,
Quibus ſit in Solo quies.
Compunge Verbi *verbere*
Nos hoc ſub Orbis veſpere;
Vt pœnitere proſperè
Queamus, & non aſperè.
Illudquè propter Gloriam
Tuo Favori *propriam,*

Quà dignus Es *per ſingula*
Mundi ruentis ſacula. Amen!

ODE CCVI. Ad SPIRITUM *S.* Conſultorem & Conſolatorem Opt. Max.

„ *Nutu* Supremi, *me foventis* FLAMINIS
„ *Nitor loco ſufflaminis,*
„ *Suaviter, absque minis!*

SPIRITUS Alme *veni, mærentia pectora leni!*
A PATRE *procedens* GNATO*què, nec indè recedens,* (*mira,*
Noſtris inſpira cæptis Chariſmata
Qua ſuper Athletas DOMINI, *Sanctosq; Prophetas* (*nia* CHRISTI,
Quondam fudiſti, canerent ut mu-
Tu *malè torpentes peccati pondere mentes* (*ditas,*
Cælitùs invitas, & egentes munere
Tu *potes omnimodos Scripturæ ſolvere nodos,* *Quas-*

Quaſque priùs celas, res, cùm vis
Ipſe, *revelas.* (*mine linguas,*
Tu Bonus *impinguas ſiccatas cri-*
Ac facis exſertas & ad Enthea cun-
cta diſertas. (*gula cudens,*
Tu *Faber* Es *prudens, ſapienter ſin-*
Enormes normas res informesq; re-
formas. (*Documentis*
Tu *noſtra mentis fabricam Sacris*
Comple, fœcunda, ſuſtenta, dirige,
munda, (*brorum.*
Vt Divinorum videant conſulta Li-
Ianua Tu *Vitæ, pulſanti nunc ape-*
ri TE, (*poſtulo, cauſam.*
Hactenus ut clauſam reſeres, quam
Quæ Te *Luce caret nullo Mens lu-*
mine claret; (*aperitur.*
Nil ſine Te *ſcitur, ſine* Te *mihi nil*
Materiem primam da Te *priùs, ad-*
deque limam,

Quâ rem ſublimem Cœleſti Dogmate limem. (*Sionis*
Sic Tibi *mille ſonis per aſyla beata*
Carmina cantabo, quibus in Tua dona *vacabo!* Amen.

ODE CCVII. Ad Eundem SPIRITUM S. PARACLETUM.

„ *Mater chara dato ceû porrigit ubera nato:*
„ *Sic* DEus *hinc* Gnatū *dat nobis, indeq;* Flatū.

FAutor *Superni Luminis*
Vitalis Autor *flaminis*,
*S*olamen *arcti pectoris*
Noxas repurga corporis!
Veni Beate *SPIRITUS*,
Effunde dona Cælitùs!
Veni *S*acer *Boni* Dator,
*Veni Spei fidæ S*ator!
Reple Tuâ *nos* Gratiâ,
Da corda TE *timentia*,

Lu-

Lumenquè Lampadis Tuæ
Accende menti mortuæ.
Verbum *S*alutis *aſſeras*
Cordi quod eſcas dat meras:
Confeſſio *cum* *S*ymbolis
A rebus abſint frivolis,
Errore lapſos dirige,
Ægris Salutem porrige!
Rigato pectus aridum,
Sanato corpus languidum!
Nos hæſitantes corrige
Ac deviantes collige;
Fruamur hîc terreſtribus,
Illîc bonis Cæleſtibus! Amen.

Ode CCVIII. Ad Eundem Motorem ac Monitorem æternum.

„ *Non incertâ* re, *ſed* Spe *ſuſtentor in Orbe:*
„ Res *eſt fluxa Solo,* Spes *mihi fixa Polo.*

QVid eſt miſello me magis fero-
Quid criminũ feracius? (cius,
Nihil Salutis dona, nil Mentis decus
Obſervo, trux velut pecus.
O Alme Motor, ô Beate SPIRITVS
Exurge iam tandem citus,
Moveq́ pectus, & mone ſenſus feros,
Ex aſperis fac proſperos.
Vt excitatus ad Bonum dein ferar,
Chorisquè Sacris inſerar;
Nec ampliùs me polluam malo truci:
Subſim nec anxiæ cruci:
Sed TE perenni Cantione concinam,
Nec me trahi retrò ſinam! A.

ODE CCIX. Ad ſemper-admirandam & adorandam TRINITATEM.

„ Divinæ TRIADOS ſit quanta Potentia, quæ Vis, (breVis.
„ Quodq; decus, monſtrat Cantio noſtra

Præ-

PRæpotens *rerum* CREATOR
Omniumquè Soſpitator,
Haud Tibi *ſecundum*
Exiſtimo vidiſſe Mundum.
Vni-Trinus Es MONARCHA
Conditor,Redemtor,Arrha:
Omne Plaſma curans,
Ob Gratiam noſtriquè iurans.
Incolis Cæleſte Regnum
Spiritale,ſempiternum,
Perpes Imperator
Noſtræquè labis expïator.
Cuncta quæ paſſim moventur
TE potentem *confitentur*
Omnium PARENTEM,
Vt fine, ſic ortu carentem.
Aſtra Cæli cum Planetis
Compitis Terræquè lætis,
Cum Mariſquè fluxu
TE *concinunt, ſed absque luxu.*

Angelos ex aſſe puros
Gloriam Tibi *daturos*
Suaviter creâſti,
Donisquè plurimis beâſti.
Omnis ornatus rotundi
Fulget usquequâquè Mundi
Montium receſſu,
Et vallium latente greſſu.
Explicas fauces marinas,
Vt ferant graves carinas,
Piſcibus ſcatentes,
Et ſingulis paſſim patentes.
Quicquid in Sali profundo
Vel Soli ferace fundo
Continetur, uſum
Nobis dat in dies profuſum.
Ceteris verò creatis
Ad Tuum Decus *relatis*
Antefers homullos,
Nec reiicis latenter ullos.

Propter hos Cælo relicto
Haud amore, JOVA, *ficto*
Factus Es *puſillus*
Servusquè plurimùm miſellus.
Glorioſus REX *Polorum*
Plauſtra ſuſtines dolorum,
Per flagella tortus,
Ut ſis Salutis *usque portus.*
Et licèt nemo rogaret
Obquè morbum ſupplicaret,
Huic tamen mederis
Nobisquè Gratiam *mereris.*
Nos Tuâ vibice ſani
Nuncupati Chriſtiani
Spe Salutis, *atri*
Iam præda non ſumus Barathri.
O REDEMTOR *Gratioſe*
Inferis licèt peroſe,
Nos Tuos Clientes
Porrò tuere confitentes.

Advocatus Es *diſertus,*
Hinc rogamus, ut miſertus
Hîc Gregis fidelis
Hunc deſtines ſubindè Cælis.
Fac ut à TE *roboratus*
Ob Tuum munusquè gratus
Vincat illecebras
In carne ſenſibusquè crebras.
Poſcimus, remitte feſſis
Noxias graves profeſſis;
Paſtor *ô Herili*
Vagas reduc Oves Ovili!
Corda nôſti ſingulorum
Tàm proborum, quàm malorum;
O Tibi *ſacratos*
Nos redde plurimùmquè gratos!
Ob Decus favoris in nos
Fac Tibi *canamus hymnos*
O TRIAS *benigna,*
Des Pacis *ampliata ſigna!*

Hac

Hæc rogamus expiati
Ob Tuas laudesquè nati,
Quas ut augeamus
Tecũ *faceſſe*, JAH, *queamus!* A.

ODE CCX. De noſtræ Salutis origine, Eccleſiæq; regimine.

„ *Pſallite* Clementi *terræ Cæliq;* PARENTI,
„ *Pſallite* Veraci DOMINO, *fideiq;* tenaci.

P*los quòd ornes, ordines,*
Cæloquè JÓVA *deſtines*
Clarum ſit Actis publicis
Sacrisquè Libris Biblicis:
Horum docet nos Lectio,
Quòd PATRIS *eſt Electio,*
Sed FILII *Dilectio,*
Et SPIRITûS *Collectio.*
O SacroSancta TRINITAS
O mira ſemper UNITAS,
Adeſto nobis ſingulis

In omnibus periculis!
Fac pro Tuâ Clementiâ
Ne noſtra nos dementia
Confundat, arguat, necet,
Vel aggravet plusquàm decet.
O ſumma LUX *illumina*
Qui vana curant Numina!
Exorbitantes corrige,
Cæcutientes collige.
Sed corruant nefarii
Verbo DEI *contrarii!*
Nam vera vult id AEquitas
Et æqua Legis Veritas.
Quàm JOVA *formidabilem*
Quàm TE *probas mirabilem!*
Hoſtes Tui-Vis-*roboris*
Evertit omnibus moris.
Eccleſiam *ſed ſic fovet,*
In hac ut obvios novet,
Quemvisque Calis inſerat,

Si ſe fideliter gerat.
Sit ergò ſit Tibi *Decus,*
Honor, Triumphus haud ſecùs,
O UNITATIS TRINITAS,
O TRINITATIS UNITAS! Amen:

ODE CCXI. De S Johanne Baptiſtâ, Præcurſore CHRISTI.

„ *Pro* CHRISTO *caſus, pulcrum capit, ecce, ſepulchrum,*
„ *Carne quidem moriens, mente ſed exoriens.*

A*Lma lux adeſt* Johannis,
Qui fuit primis in annis
CHRISTE, *Prodromus Tuus,*
Sat arduus.
Matre natus de ſenili
Non tamen de Stirpe *vili;*
Prædicabat gentibus
Vrgentibus.
Prædicabat Verba Vitæ
Inquiens: Omnes venite

Pœnitentiæ bonum
Flantes ſonum!
Præparate corda pura,
Et lavate membra dura:
Appropinquat iam meus
JESUS DEUS!
Qui REDEMTOR *nuncupatur,*
Et Salus *per* Hunc *paratur*
Omnibus quærentibus
Hanc mentibus.
Elias fuit minando,
Et Propheta prædicando:
Non pepercit Regio
Connubio.
Ob quod & mortem ſubivit
Ac Polum felix adivit:
Nec timet iam noxiam
Mortis viam.
Cuius ut ſequamur auſus
Excitemus corde plauſus,

Et canamus hac die
Caſtè, piè!
CHRISTE *(dicentes:)* benigne
Da colamus usque dignè
TE *Tuis cum Cœtibus*
Fidelibus.
Pace *nos bea quietâ,*
Saviant ne bella ſueta,
Floreat Sinceritas
Et Veritas!
Germinent Artes honeſtæ,
Gaudeant Mentes modeſtæ
Liberatæ cladibus
Crudelibus.
Sic Tibi *laus æviterna*
Gratulatione vernâ
Cedet, Alma TRINITAS
Ac UNITAS! Amen.

ODE CCXII. De Eodem.

„*Ri-*

„ *Ridet Vir fortis dubia ludibria Sortis,*
„ *Subq; Spei portis temnit diſcrimina Mortis*

JOhannes, DOMINI *Gratia* Cælitis,
Prædictus Superi vocibus Alitis,
MESSIÆ *fuerat Prodromus, ad pias*
Dux Evangelii vias.
Adhùc ventre latens Matris in ar-
Præſenti DOMINO *ſubſiliit ſuo: (duo*
Nā cognovit Eum *Cælitùs Hoſtiam*
Pro nobis fore præſciam.
Mox natus ſterili germine, gaudiis
Affecit Generis contiguos piis:
Dū Matris penitùs dedecus abstulit,
Et vocem Patris expulit.
Pòſt, annis properè maior euntibus,
Imbutus Patriis à Patre ritibus,
Implevit Veteris Dogma Prophetiæ
Latum voce Malachiæ.
Bis luſtris ter enim, fraude carens doli,
De-

)eſerti coluit teſqua diu Soli:
'pretis delitiis omnibus, aviam
Direxit DOMINO *viam.*
Hinc Baptiſta *cluens, abluerat pium*
n Iordane DEI *chriſmate* FILIUM:
Heliam referens ore, nefarium
Taxavit ſcelus omnium.
nceſtum prohibens deniq; Regium
Sumſit pro meritis nobile præmium,
'n tetro (ſcelus heû!) carcere Regiæ
Occiſus nimis impiè.
Cuius nos Fidei *participes, malis*
Præcludamus iter flebile ſcandalis;
Vt nos auxilio JOVA *ſuo beet*
In nos totus & immeet! Am.

ODE CCXIII. De B. Petro Apoſtolo.

„ *Sub noſtris annis urensq; furensq; Tyrannis*
„ *Fac pereat totis,* CHRISTE *benigne, rotis!*

Ma-

MAgni *dies* Apoſtoli
Sacer redit, dignus coli
In Orbe toto laudibus
A Chriſtianis Cœtibus.
In hoc enim Servus DEI
Parvæ Petrus *quondam Spei*
Miles velut plenus Fide
Verbi triumphat caſſide.
Nam quum docet CHRISTI *Fidem*
UNŨ DEŨ, TRINUM *quidem,*
Romæ Neronis à truci
Lictore figitur Cruci.
Pro tam gravi certamine
Suavi dat Huîcce *famine*
JESUS Redemtor *omnium*
Cognomen à Petrâ pium.
Quòd nempè ſub Cælo piam
Firmabat hîc Eccleſiam;
Cui prævalere Tartari
Quit nulla vis hoc in mari.
Tum

um quòd docebat liberè
Cum PATRE JESUM *vivere*;
Vocatus eſt hinc moriger
Cæleſtis Aulæ claviger.
Quod alligavit per Solum,
Fuit ligatum per Polum:
Quod ſolvit autem per Solum,
Fuit ſolutum per Polum.
Quare Coronâ Regiâ
Poſt tanta vitæ tædia,
Et poſt ſevera vincula
Ornatus eſt in ſæcula.
a, CHRISTE, *ſincerâ Fide*
TE *confiteri candidè*
Servis Tuis fidelibus
Preſſis malis crudelibus.
t propter amplam Nominis
Laudem Tui, *nullis minis*
Abſterreamur, maxima
Si ſint ferenda tormina.

Sic

Sic nempè Mundus hîc fera
Bonis rependit munera:
Sed JOVA *poſt hæc tædia*
AEterna confert gaudia! Amen

ODE CCXIV. Δοξολογικὴ, pro jugi Angelorum cuſtodiâ.

„ *Si nullum lædes,* Superas *penetrabis* *at* AEdes,
„ *In queîs ſunt ſedes Angelicique pedes*

L*Aus, Honor ſit* CONDITORI,
Noſtro quòd intentus nitori
Angelico nos Agmine munit,
Ipſorumq́ levamen adunit.
Ipſe *namque ſanxit illos,*
Vt protegant nos imbecilles;
Et, tueantur robore miro
A Satanæ molimine diro.
O regas PATER *Benigne*
Noſtrum cor ALMÆ LUCIS *igne;*
PNEV-

PNEVMA *Tui virtute timoris*
Vt nos imbuat omnibus horis.
Da mali nil perpetremus,
Sed nutui Sacro *vacemus;*
Hoc Fidei munimine fortes,
Angelicas hic eſſe cohortes.
A quibus profecta tela
Fac tuta nobis eſſe vela;
Ne Caro, Mundus, Styxq́; rebellis
Nos gravet, aut det damna miſel-
Res, ſupellex, Vita, tectum; *(lis.*
Ne ſint velut gramen rejectum;
Sed vernent vigeantq́; ſecunda,
Præſidium REX *Angelicum da!*
Cuncta nos Tibi *vovemus,*
Nã quòd PATER *ſis, ſpẽ ſovemus;*
Pollicitus ſub Nomine NATI,
Regni nos fore membra Beati.
Hic ubi Gens Angelorum
Pæana decantat ſonorum:

O fac

O fac Rex Bone, *Grex velut ille*
Pangamus Tibi *carmina mille!*

ODE CCXV. De Mundi hujus malignitate, Eccleſiæquè ſub Angelorum excubiis ſtabilitate.

„ *Qui tranſis Mundum, benè diſpice, quò ſit eundum:* (*dis.*
„ *Hæc Via quâ Vadis, Via deVia plenaq; cla-*
„ *Quære* Ducem CHRISTUM; *Venies ſuper Aſtra per* Iſtum!

C*AElum petens* Eccleſia,
Per teſqua pluſquàm Creſſia,
Solvatur in ſolatium,
Metumquè pellat anxium.
Matrem ſequatur Mens pia
Cæli patente Curiâ:
Hanc ingredi deſideret
Quiſquis metu fletum ſeret.
In valle lacrymabili,
Et vaſtitate mobili;

In

In aſperæ Crucis tholo,
In exſulantium Solo.
Cætus Fidelium Sacer,
(Licèt ſit haud parùm lacer)
Suſpiret hinc in Patriam
CHRISTI*què Fratris Regiam.*
Hac Vita Carcer eſt Piis
In omnibus fermè viis,
Quos fraudibus ſic diſtinet,
Vt ſæpè totos faſcinet.
Vtroque ſolvi flagitet
CHRISTO*què* Regi *militet;*
Favore donec Ipſius
Vivat deindè mitiùs.
Nunc eſt honeſtum ſurgere,
Panopliamquè ſumere:
Nunc excubare laus erit,
Nunc dimicare proderit.
Id flagitat neceſſitas,
Res poſcit, ambit Charitas:

Id

Id Nominis locatio
Requirit, & Vocatio.
Satan oberrat horridus
Ferox, potens, trux, perfidus,
Inſtar Leonis turbidi
Ad devorandum fervidi;
Minatur, invidet, premit,
Adversùs obvios fremit:
Vt negligentes deſtruat,
Et imparatos obruat.
Huic eſt reſiſtendum Fide
Sacraquè VOCIS *ægide;*
His CHRISTUS *armis hunc priù*
Longè repreſſit clariùs.
Et nunc ſuos per milites
Hunc vincit ac ſatellites,
Fretos JEHOVÆ *viribus*
Et Angelorum cœtibus.
Hi iubilant de ſontibus
Subindè pœnitentibus,

Et

Et flentibus ſub crimine
Vitæ nova molimine.
ratis proindè mentibus
Diebus atque noctibus
PATREM *ſonemus* Entheum,
Noſtrum peroptimum DEUM;
Qui *nos id optat noſcere*
Ac ſedulò repoſcere,
Pacti quod in Baptiſmate
Sumus, novati Chriſmate.
inſitos Matri piæ
(*In quâ Salus*) Eccleſiæ
Nos plantat & rigat Sibi,
Nec derelinquit ullibi.
urâ Sui FLATUS *fovet,*
Conſervat, auget, promovet,
Pacis ligatos vinculo,
Et Charitatis oſculo.
DEM *favens* Eccleſiæ
Periculis obnoxia,

Ei paternè proſpicit,
Obſtaculumquè disiicit:
In hoc globo dum terreo
Vallata, plusquàm ferreo
Circumdatur munimine,
Sub Angelorum tegmine.
Quorum Michael *Dux cluit,*
Qui *primus ad pugnam ruit;*
Vt eruat de cladibus
Et cladium tot peſtibus.
Nam Mundus impetu potens,
Caroquè technis inſolens
Vtrinque ſtipat Dæmonem
Bonum ferendo neminem.
Malis greges mortalium
Peſſundat, in vitalium
Deſæviens præcordia
Damnabili vecordiâ:
Hinc tanta perturbatio
Ac peſtilens mutatio

Tam

Tam publicæ nocet Rei,
Quàm non metus cedit Spei.
Hinc Spiritûs tranquillitas
Turbatur, & ſodalitas
Communitatis ſolvitur,
Quum pace ruptâ tollitur.
Hinc æmulorum factio,
Et ſæva conſpiratio
Infert manum ſtertentibus
Cladem què negligentibus.
Ob hoc laborat unicum
Tyrannus ille, Cælicum
Vt tollat Orbe gaudium,
Et cordibus tripudium.
His ergò paſſionibus
Contrariisquè motibus
In æde noſtri pectoris
Non eſt quies domi, foris.
Vix horula ſilentium
Conceditur; furentium

Inter tot hoſtium metus,
Minas, furores, impetus.
Annon hic Orbis peſſimus
Eſt carceri ſimillimus?
Hoc vita noſtra clauditur,
Morti deindè traditur.
DEI *tamen* præſentia
Et alma Providentia
Pios ſubindè proſperat,
Tuetur, auget, liberat.
In his agonis fauſtitas
Panopliæquè claritas
Conſpecta lucet, germinat,
Ac enſe Verbi *fulminat:*
Donec reportet gloriam
Et gloriæ victoriam,
Poſt huius ævi prælia,
In perpeti Soteriâ.
Hîc non habemus propria,
Sed in ſupremâ Patriâ:

Hanc

Hanc *expetamus unicè*
Pro ſortis iſtius vice!
O quàm beata Civitas
Eſt illa, cui DIVINITAS
Iugi praeeſt Theoriâ
Pſalmodiaequè gloriâ.
O quàm recens feſtivitas,
O quàm decens ſolennitas
Cùm Charitatis intimæ
Tum ſervitutis optimæ!
Felix per ævum Curia
Curæ laborum neſcia,
Quæ litibus nullis ſcatet,
Sed omnibus Sanctis patet.
In hanc ſenectus non cadit
Languorquè membra non quatit,
Nec ulla fraus obeſt ei,
Protectione ſub DEI.
Huic Angeli Cives dati
Gregesquè Martyrum ſtati

DEUM *tuentur & colunt,*
Magiſquè ſemper id volunt,
Præſtant id absque tædio
Et tædii faſtidio,
Cum Patribus, cum Matribus,
Sororculis, & Fratribus,
Hoc gaudium caret modo;
Ad hoc feramur amodò,
Favente CHRISTI Numine,
Cum PATRE, *cumq́;* FLAMINE! A.

ODE CCXVI è Pſalmo 91.

„ *Confiſus* CHRISTO, *non fit confuſus in iſto*
„ *Quē tranſit Mundo, Vitiorū fonte profundo.*

QVi *conquieſcit in* DEI
Favore, *ſub tholo* Spei,
Et Charitatis *ægide*,
Is audit invictus Fide.
Securus eſt periculi
In fine duri ſæculi,
Confiſus hinc, ait DEO:

So-

Solamen Es *cordi meo!*
Habe Tibi *me deditum*
Ob ſingulare debitum,
Quo me paternè colligas
Vt colligatum corrigas!
Homo caduce quilibet,
Si vana quæres ut libet,
Fruſtraberis, ni mox DEUS
Adſiſtet, Altor *entheus.*
Is-Ipſe *Solus omnium*
De caſſibus venantium
Te liberatum ſepiet,
Dum peſtis atrox ſæviet.
Ergò nihil plagas time,
Morbosquè: quin mox reprime
Verbo latrones, tum crucem,
Tum vim Tyrannorum trucem.
Adſcribe Sacro PNEVMATI
Tua quòd aura ſit rati,
Qui *portui te ſiſtere*

Perget bono ſub ſidere.
Hoc liber à diſcrimine
Vt & necis formidine,
Prorſus mali nil ſenties,
Si vel recurrat centies.
De te tuendo JAH *ſuis*
Mandat Miniſtris *arduis,*
In omnibus negotiis,
Periculis, repotiis.
Hi te levabunt dexteris,
Ne devoreris à feris,
Vel ne pedes aut brachia
Lædas in avià viâ.
Hi Tygrides & Aſpides
Quas imminere iam vides,
Vel ſi quid eſt his ſævius,
A te repellent ſæpiùs.
Nil ſunt feri Leunculi,
Nil horridi Dracunculi,
Adversùs hosce Milites

Ho-

Heroicos Satellites.
Horum MONARCHA Cælicus
Eſt Imperator *Vnicus*,
Favore qui *multiplici*
Reſponſa ſic dat ſupplici:
Cùm ſervus hic me diligat,
En faxo, mox intelligat,
Quòd hunc viciſſim diligam
Vel inter iram bellicam.
Eum docebo proſperè
Quid ſit DEO *confidere*
Suavi, Bono, *ſpectabili*,
In omnibus laudabili.
Quum me vocabit, audiam,
Dans ſingularem Gratiam,
Ac liberabo providè
A mole ſortis languidæ.
Faxo, ſatur vitæ, Solum
Vt linquat & ſcandat Polum:
Poſt fata Mortis aſpera

Sumens brabéa proſpera! Amen.

ODE CCXVII. Hominis ſub alas Divinæ clientelæ confugientis.

„*In* CHRISTO *ſpera, dabit* Hic *tibi munera vera.*

JESU *Salutis Autor*
Velis adeſſe Fautor;
Te *manè quæro primo*
Ex fonte Cordis imo!
Preſſo patrocineris,
Ah, quæſo, ne moreris!
Nitente luce vitæ
Fac ſemper expeditè
Vt Te JEHOVA *laudem,*
Abominerquè fraudem
Ab hoſtibus paratam,
Viam Stygiſquè ſtratam,
Ne lædat atra peſtis
Me dentibus ſceleſtis,

Spei

Spei reſumta veſtis
Mihi ſit uſque teſtis,
Quòd Tu *favere geſtis*
Servis in Orbe mœſtis.
O Tutor *Iſraëlis*
Rex *Sancte*, Rex *fidelis*,
Cùm Mens recurrat ad Te,
Hanc à protervitate
Mundiquè vanitate
Defende ſemper aptè.
Confer *Fidem beatam,*
Culpamquè perpetratam
Clemens mihi remitte,
Quà Te *Tuumquè mite*
Cor usquequaque læſi
Quum noxiis adhaſi.
Suavi *tuere vultu*
Me ſub gravi tumultu,
Ut Te *decente cultu*
Et à malis reſultu

Semper ſonare ſueſcam,
Sub Te *magisquè creſcam.*
Quin ut pavere ceſſem
Ad ultimamquè meſſem
Sim fidus, Alme *faxis*
LYTROTA! *ſitquè praxis*
Mihi perennis iſta,
Tuo favore miſta.
Membris dolore tortis
Defende JOVA *fortis*
Me ſub furore Mortis,
Dans grata fata Sortis
Et ius Sacræ Cohortis
Interminis in Hortis! Amen.

ODE CCXVIII. De Pane verè divite, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.

Alma TRIAS *triplici nos ditat ab Æthere Pane;*
Magnificè ſanè! quod Homo perpendito Sane.

CHRI-

CHRISTIANUS *eſt Homo*
Quisquis in DEI *Domo*
In ſuâquè penſitat,
Quis *ſit* ILLE *qui citat*
Ad Sacrum penu pios
Sæpè quamvis devios,
Panes *paratquè* dîos?

Rex *potens eſt &* DEUS,
Eſt Patronus *Entheus,*
Qui *creavit nos* Sibi
Datquè copiam cibi.
Nec fame ſinit mori
Liberos caſti Tori,
Quod vos notate Mori!

Ejus *eſt* Manus *patens*
Omnibus bonis ſcatens,
Nec gulam tantummodò
Ditat almo commodo;
Sed ſimul Mentis ſinus
Replet eſcis protinùs,

Vt Fautor UNITRINUS.
Illius *Cor Patrium*
Quemlibet novit Pium,
Datquè Panem *terreum*
Quò furorem ferreum
Temperet famis feræ
Atque ſortis aſperæ,
Nos recreetquè verè.
CHRISTUS *inſuper Suæ*
Gratiæ nos arduæ
Pane *donat largiter,*
Ad PATREM *monſtrans iter*
Veritatis indice
Ac Favoris illice,
Abſint ut indè tricæ.
Belluis nil hîc datur,
Solus eſt Homo ſatur
Pane *tali*, *ſed pius*
Et Saluti pervius,
Fertquè gratias Ei

Qui

Qui *ſua fons eſt Spei*
Quovis cyclo diei.
Rector Alme *Cælitum*
In Polo Panem *ſitum*
Des Tuis fidelibus
Omne das Bonum quibus:
Sed priùs des myſticum,
Carmen Euchariſticum
Vt os det hic amicum.
O *beatos hos nimis,*
Quos ab Hoc *non eximis*
Pane *Gratiæ Tuæ,*
Gloriæ nec arduæ!
Corporalis hos licèt
Sæpè damnis implicet,
Orbis quod ipſe dicet.
T*emporalis quin cibus*
Cùm deeſt fidelibus
Panis *ob penuriam,*
Non ferunt iniuriam;

Sed

Sed probantur acriùs,
Vt velint alacriùs
Quod vult Monarcha *Dius*
Utquè ſentiant vices
Gratiæ multiplices,
Quâ DEUS *reples eos*
Poſt rigores felleos,
Quò Tibi *grates litent*
Nec malum reſuſcitent,
Pœnas ſed usque vitent.
Sempiterna laus Tibi
Sit JEHOVA, *quòd cibi*
Triplicis das copiam
Præparans Poli viam,
Quam teramus è Solo
Territi nullo dolo
TE *ſublevante* Solo. Amen!

ODE CCXIX. Συμβολική, de Chriſtianorum viâ, non deviâ.

Si mage nil quibis, Medio tutiſſimus ibis;
Nempè DEO *grati Medium tenuêre Beati!*

MEns Chriſtiana *nobilis*
Mundi relictis nubilis,
Ad Aſtra tende ſursùm!
Dextrâ-ſiniſtrâ pluribus
Es implicata caſibus,
Orci vides & Vrſum,
Ictu, rictu
Qui fremente, Te ſequente
Vult vorare,
A Polo vel avocare.

DIvina *ſed tu* Dogmata
Davidis & Poëmata
Revolve corde puro;
Nec te ſinas à termino
Legi Sacræ contermino
Trahi rigore duro:
Nempe Tempe
Te Superna, ſempiterna,

Ad-

Ad Coronam
Provocant virore plenam.
Onus quod hic te conficit
Et ad pericla coniicit
CHRISTUS *ſecundat usque;*
Format Sibiquè *ſuaviter*
Ac providet benigniter
Ceû Dux, Pater *Bonusquè,*
Ne te rete
Noxiorum Proximorum,
Vel Latronum
Obruat, necare pronum.
TUTIS *ab Axe Copiis*
Cingit, Choris & obviis
Latus tuum paternè;
Hâc ne vel illâc hoſtium
Telis pateſcas, oſtium
Pandit tibi ſupernè:
Curſum ſursùm
Quò tenere, nec timere

Fa-

Factiones,
Aut Stygis queas Dracones,
Is ergò læta iugiter
Ad Aſtra *perſequens iter,*
Nec à ſcopo recede!
JEHOVA *te non deſeret*
Opem *ſed* Almam *deferet*
In ſortis hacce ſede:
Hanc tu cantu
Proſequeris, & ſequeris
Absque luctu,
Dives affluente fructu.
USé*a plusquàm gemmea*
Videbis illic, Mens mea,
Sertumquè præparatum:
Quod Morte SALVATOR *ſuâ*
Illuminavit arduâ
Reddet tibiquè gratum:
Quare, clarè
Sic Benignum, *laude dignum*
Al-

Alloquaris
Pectoris fidi ſub Aris:
Immenſe CONDITOR *mei*
Succurre languidæ Spei,
Fidemquè redde latam:
Sic TE Tuum*què* FILIUM,
Gratum Ducem fidelium
Ratumquè Proxenetam,
Multis cultis
Sæpè votis, corde ſotis
Prædicabo,
Me Tibi*què colligabo.*
BIS, *immò ter, felix ero,*
In Pace *ſi deceſſero*
Ex Orbis hâc Eremo;
Et ſi remotus vixero
A Mortis impetu fero
In Atrio Supremo!
Quò nos, pronos,
Duc clientes, TE *ſequentes*

JOVA Magne,
Tuq́; Pacis *Autor* AGNE! Amen.

)DE CCXX. De ſingulari DEI erga ſuos fideles propenſionē.

OVA *fugat threnos d.tatq́; potenter egenos,*
Quin ſimul & mœſtos Pat(r is *foVet atq; modeſtos.*

MEns mœſta laude crebrâ;
DEUM *tuum celebra;*
Luctum DEUS *retundet,*
Et gaudium refundet,
'erra moleſta moles
Auram trahensquè proles
JOVAM *canas levata,*
Et ſis ſubindè grata!
'ani perennè dignus
Nos, JAH *fovet benignus,*
Frendente tardus irâ
Paternitate mirâ.

Quin

Quin ſæpè non putatam
Adfert opem beatam,
Et perſecutiones
Aufert rogatus omnes.
Vt dulce ſic amarum
Fit HOC *favente charum,*
Et usquequaque clarum,
Faceſſat os avarum!
Cùm nos DEUS *gubernat*
Doctrina ſana vernat:
Verbi vetat medulla
Ne lis ſuperſit ulla.
Malum Pios quod icit
CHRISTUS *labore vicit;*
Crucis labore magno,
Ceû congruebat Agno.
Sunt namque Chriſtiani
Ejus Cruore *ſani,*
Non ut priùs profani
Nec Spe Fideque vani.

Huic *ergò vota ferte*
Cum Cymbalis apertè,
Donec Polo recepti
Simus Salute ſepti! Amen.

ODE CCXXI Hominis reſipiſcentis, & ad Supremum aſylum reſpicientis.

Si pium eſſe Velis, ſine fraude, DEO*q; fidelis,*
Spem plenis Velis, plaudentibus exſere Cælis.

H*Eu, quot Tyranni præferoces machinas,*
In me quot evomunt minas!
Hinc Mundus urgens, hinc Satan turgens fremit,
Cupido ſurgens hinc premit.
Ah, JOVA,*reb9 ſubveni meis precor!*
Ni ſubvenis; en, enecor!
Ad Te *levavi Mentis ægra lumina,*
Tu *das ei levamina!*
Quin, cùm citabis ad Tuũ Prætoriũ
Diem-

Diemq́ decretorium, *(lite*
Ne me, REDEMTOR, *ah, ne me refel*
Nec à Salute *pellito!*
Ex aſſe me ſed Paſſionis *fac* Tuæ
Ah, compotem fac ardua! *(nam*
Vt iunctus Almis Cœtibus TE *conci*
Horis nec ullis deſinam! Amen.

ODE CCXXII. Pro Pacis reductione, Bellorumq; unà cum omnibus malis repulſione.

„ *Vt* Pacis PRINCEPS *tollat fera bella deinceps,*
„ Huic *pia Vota feras, corquè fidele geras.*

BEllum Luesquè triſtis
Regnat plagis in iſtis,
Paſſim Famesquè durat
Nec ulla iura curat.
Crux quando prima ceſſat,
Mox hanc ſecunda preſſat;
De-

Decet proin precari,
Si vis eâ levari.
Os pergat uſque mæſtum
Melos ſonare feſtum:
Vt JOVA Pacis *amnes*
Det, quos rogamus omnes!
DEI *Propago* CHRISTE
Honor Tibi *ſit iſte,*
Bellum repelle triſte
Mortisquè tela ſiſte.
Pacis *Sacrâ Coronâ*
Nos iam Bonus *redona,*
Largire fauſtitatem,
Averte vaſtitatem!
Per vallium receſſus
Et montium regreſſus
Sit Mars ferox repreſſus,
Sub Pacis *Arce feſſus.*
Tranquillitate pleni
Sint ut dies amæni,

Securitate fulti
Ac Veritate *culti.*
Sic liberata Tellus
Laudum perenne vellus
Expandet Orbe toto
Tuo Cruore *loto!* Amen.

ODE CCXXIII. Sub occaſu Solis.

„*Auxilium* CHRISTI *venit ad nos tempore triſti:*
„ *Hoc ſine qui vadit, pronus ad ima cadit.*

Vita ruente veſperâ
Cùm Mens rigeſcet aſpera,
O CHRISTE *ſis mihi propè*
Potente ſublevans ope.
Solare pectus anxium
Crimenquè tolle noxium,
Et libera me vinculis
Mortisquè diræ ſpiculis.
Fac me frui ſolatiis

Ca-

Cæleſtibusquè Gratiis,
Tentationum grandines
Vt tum recedant, ordines.
Vitæ Libro *quòd inſitus*
Sim iam diu, me SPIRITUS
Pergat docere, quem *meo*
Largire Cordi buſteo.
Ne *torquear, fac ô* DEUS,
Pro me, fuiſti qui *reus*,
Trucemquè paſſus es *Crucem*
Vt Te *bonum ſequar* Ducem.
En, *iam ſequor! Servum Tuum*
Duc ad PARENTEM *mutuum*,
Cuî *me potenter offeras*
Poſt tot procellas aſperas:
Deindè *Sacris Cœtibus*
Adiunge, terſis fletibus;
Vt Te, Patrem*què Carmine*
Canam pari *cum* Flamine! Am.

ODE CCXXIV. VESPERTINA.

„*Te* DEꝰ *oramus, ſalva nos dum vigilamus;*
„ *Et cũ dormimus, da tuti,* TE DUCE, *ſimus!*
„ *Ut ſub Spe* CHRISTI *vigilemus tempore triſti,*
„ *Dein actâ metâ potiamur Pace quietâ.*

JAm ſat datum labori,
Iam tempus eſt ſopori
Præbere membra; CHRISTE
Quodvis repelle triſte,
A lectulo Tuorum
Hac nocte Servulorum.

Nil hic tenebriones
Orci queant Latrones,
Qui more nos malorum
Circumfluunt Luporum,
Et nos ſuo furente
Tentant necare dente.

At mox procul faceſſunt,
Nec nos magis laceſſunt,

Dum

Dum Tu *Choros Tuorum*
Hûc mittis Angelorum.
Ah, mitte! nec gementem
Tuam relinque Gentem!
Quin da, PATER, *precamur,*
Lucem Tuam *ſequamur!*
Nos luſtret hæc *vigentes*
Luſtretquè dormientes;
Nos hæc beet, coronet,
Cæliquè ſede donet.
Hûc nos preces feramus,
Et ceû levem paramus
Captare nunc ſoporem;
Sic poſt gravem laborem
Ex his petamus hortis
Squalentis antra Mortis.
Tantùm fac, ô! rogamus,
Quicquid mali patramus
Vt deſinat nocere
TE *ſubmovente verè;*

Caloquè nos beante
Senſimquè ſublevante! Amen.

ODE CCXXV. VESPERTINA.

„ *Immutes factum quovis errore peractum;*
„ *Nam mala qui mutat, non malè, crede, putat.*

O CHRISTE *lampas candida*
Quē *nox tremiſcit languida,*
Qui *nos foves, illuminas,*
Mortiſquè temperas minas,
Sub noctis atro tempore
Da cogitemus affore
Tempus quietis, & Tuæ
Protectionis *arduæ.*
Sis ergò præſens ſingulis
Nobis Tuis amiculis;
Avertito pericula
Hoſtiſquè ſævi ſpicula.
Fac dormiamus optimè,

Nil

Nil extimè nec intimè
Nos turbet; ira Dæmonis
Cum rebus abſit diſſonis.
Sic manè facto TE *piis*
Cantabimus melodiis,
Tuum*què Patrium* Decus,
Ut antè factum, non ſecùs. Amen!

ODE CCXXVI. VESPERTINA.

„ *Crimina dum ploro, ſis* CHRISTE *Salutiſer, oro!*
„ *Ne mihi nox noceat,* VOX TUA *me doceat.*

CHRISTE, *qui* Lumen *vocaris,*
Lucifer*què nominaris,*
Cujus *eſt dies renata*
Noxquè laſſis deſtinata.
TE *rogamus, nos tuere,*
O DEUS, *Paterquè Vere!*
Da ſit iſta nox quieta,
Sit ſalubris, apta, læta.

Somnium recedat indè
Territat quod nos ſubindè,
Hoſtis impius fatiſcat;
Te DEUM *timere diſcat.*
Fac queamus eſſe tuti,
Namquè reddita Saluti
Fidimus, TE *diligentes*
Indigi velut Clientes.
Nos *ſumus* Tui, *Tuorum*
Res tuere Servulorum;
A Tuo Cruore *lotos*
Flecte, ſerva, quæſo, *totos,*
Sis memor, quòd umbra ſimus,
Bulla, pulvis, atque limus,
Semper, ô JEHOVA, *praſtò*
Servulis Tuis adeſto! Amen.

ODE CCXXVII. VESPERTINA.

„ *No-*

„ *Noctis opus ſit onus, niſi ſit tibi* IOVA Patronus,
„ Hujus *ab ore Sonus ſtat, ſine fine, bonus.*

C*Onferentes nos placidæ quieti,*
Fundimus grates Tibi, JOVA, *lætis;*
Quòd diē fauſtū dederis petenti
Donaquè Genti.

Da, PATER, *donis potiamur iſtis*
Porrò, dum nox it tenebroſa, triſtis:
Nil mali nobis noceat renatis,
Et Tibi *gratis.*

Impios auſus Satanæ retundas,
Tela, conatus, Stygiasquè fundas
Angeli *ſiſtant, memorentquè vili*
Caſta cubili.

Da frui laſſis placidâ quiete,
Somniemus nil niſi ſancta de TE,
Sint procul curæ, vitiumquè mentis
Carne tumentis!

Grata ſint laudum Tibi *dedicata*

Ee 5 Vo-

Vota, de puris animis litata, *(tes*
Quæ Tui fundunt Famuli gemen-
T*Equè timentes.*
CHRISTE, *Supremi* Soboles PA-
RENTIS
Hic Tuæ tandem miſerere Gentis!
Pax *ſit in noſtris animis & oris*
Omnibus horis! A.

ODE CCXXVIII. VESPERTINA.

„*Veſpera jam venit, nobiscum* IOVA *maneto,*
„*Vt* Tua *concentu celebremus* Numina *læto!*

O *Lux* Beata TRINITAS
Et Principalis UNITAS
Cadente Sole, nox ruit
Terrasquè noſtras obruit;
Tu *Luce* SPIRITUS Tui
Ne nos ſinas adobrui:
Infunde Lumen mentibus,
TE *candidè timentibus.*

TE

TE manè ſemper proſperè
TE *depreca ntur Veſpère,*
Tui Gregis Te *Regula*
Per cuncta laudet ſæcula.
DEO PATRI *ſit Gloria,*
Sit FILIO *Victoria,*
In Vnitate SPIRITûS
Qui *dirigat nos cælitùs!* Amen.

ODE CCXXIX. VESPERTINA.

,, En *homo cùm ſtertis,* CHRISTI cuſtodia *certis*
,, *Te turmis munit, contraria caſtraq́; punit:*
,, Hujc *igitur laudes cur non perſolvere gaudes?*

V*Ergente Solis orbitâ,*
Feſſis regreſſu debita
Suo merus
Dat Heſperus.
Cum PATRE CHRISTO *gloria,*

Noſtroquè *ſit, per omnia,*
Solamini
Pat FLAMINI!
Cujus *potenti Dexterâ*
Naſſâ Draconis efferâ
Diffugimus,
Ac vicimus!
Nunc membra languent omnia
Nutantquè ſemiſomnia,
Vires iacent,
Linguæ tacent.
At, excubare ſtrenua,
Inſomnis illa Bellua,
Non dormiet,
Vt obviet:
Spernet moras (homunculis
Obeſſe docta feſſulis)
Nocens gulâ
Ceù ungulâ:
Hâc nocte mellitisſimâ

V.

Vt clade turbidiſſimâ
Nos obruat,
Ac deſtruat.
O CHRISTE JESU, *corpora*
Dum noctis occupat mora
Nobis cave,
Votis fave!
Tu *pro miſellis excuba,*
Tuiquè Numinis *tubâ,*
O Dux cate,
Hoſtes quate.
Vt Vmbra cùm receſſeris,
Iubarquè Solis fulſerit,
Tibi *piæ*
Sint hoſtiæ.
Hac firma, nullus ambigo,
Et in JEHOVÆ *colligo*
Memet ſinum
Tutaminum.
Die reſurgam craſtinâ

Fundamquè ſalvus carmina,
Tam pectore
Quàm corpore. Amen!

ODE CCXXX. VESPERTINA.

„ *Nocte dieq; cave tempus conſume pravè:*
„ *Vt flos & ventus ſic tranſit noſtra Juventus.*

D*ie peractâ nox ruit*
Horrorquè triſtis ingruit,
Decet proindè nos pias
DEO *ſonare gratias;*
Quòd nos Clientes rexerit
Et à malis protexerit,
Nec paſſus eſt feroculis
Nos concuti periculis.
EUM *rogemus denuò,*
Vt nos homullulos ſuo
Favore *ſemper ambiat,*
Quo cuncta cunctis ampliat.
Eius Paterna Lumina

Hac

Hæc tuta reddant limina,
Quæ nos quieti traditos
Tenent, Soloquè deditos.
Extende, CHRISTE, *Dexteram,*
Sanamquè præbe veſperam;
Retunde fraudes Dæmonis,
Tuisquè nos ditâ Bonis.
Sic Laus *Tibi, ſic* Gloria,
Sic ſurget hinc Victoria,
Per mille perpetes dies
Æterna cùm fluet quies! Amen.

ODE CCXXXI. VESPERTINA.

„ *Damna dole rerum, ſed plùs fle damna dierum;*
„ *Quiſq; poteſt rebus ſuccurrere, nemo diebus.*

JAm, noctis atræ tempore
Dum conditur Sol æquore,
Somno daturi lumina
Feſſiquè cordis limina,

Ti-

Tibi, DEUS, *laudes pias*
Sonamus, atque Gratias;
Quòd hâc die nos à malo
Servâris Hoſtis Scandalo.
Remitte iam benigniter,
Oramus, acta turpiter,
Et nos tuendos iam velis
Mandare Sanctis Angelis!
Ac, dum ſopor ſurrepſerit,
Artusquè feſſos preſſerit,
Adeſto Cuſtos *corporum*
Noſtrumquè proſperes torum.
Dirum repelle Dæmona
Qui Mentium rapit bonas
Fac corruant eius doli
Per orbitas Sali, Soli!
Vt tam pio pro munere
TE *concinamus proſperè,*
Quos præpotenti NUMINE
Privas gravi diſcrimine. Amẽ!

ODE

ODE CCXXXII. VESPERTINA.

, *Plangas peccatum, mage nec committe patratum,*
, *Et fac ut Zelus corrigat omne ſcelus.*

R*Ecesſit, en, Sol aureus!*
Sit laus Tibi PATER DEUS,
Hac luce nos à triſtibus
Servaveris quòd caſibus.
Remitte noxias graves
Quibus nihil prorsùs faves;
Nox hac Tuâ Clementiâ
Sit ſoſpes & non noxia.
Malos retunde Spiritus,
Qui nos periſſe funditùs
Vellent, Tuos Beatulos
Sed iunge nobis Servulos.
Cedant procul ludibria
Inſomniorum turpia;
Sit caſta cogitatio,

Et

Et mentis oblectatio:
Vt cùm dies recurrerit
Noctemquè Sol diſcuſſerit,
Tibi *canamus gratias,*
Noſtras quòd ordines vias.
Laudetur Alma TRINITAS,
Et uniens nos UNITAS
Semper vehatur laudibus,
Queîs vecta ſaeclis omnibus. Am.

ODE CCXXXIII. VESPERTINA.

„ *Noxia ſunt duris obnoxia pectora curis:*
„ *Si* Sacra Verba *capis, tu magis indè ſapis.*

O CHRISTE, *curis* ros bone *torridis,*
An cum diurnis Solibus occidis?
Qui *dulce gratâ nocte ſilentium*
Das pro levando turbine Mentiū;
Fac recreati corpore denuò
Motu ſequamur munia ſtrenuo:
Nec

Nec iam per Vmbras, Sol piè, *roſcidas*
Nobis caducis umbrifer occidas,
Reſurge feſſis Mentibus, & nova
Fulgore Lucis pectora permove;
Seû Luna multo ſidere menſtrua,
Seû Luce Phœbus luſtrat humum (ſuâ,
Caliginoſas tolle moleſtias
Intrà Tuo *nos* Lumine *veſtias:*
Quodcunq; nobis contigit hoc die
Totum Tuæ *fac utile* Gloriæ.
Felice Lucem Veſpere termina,
Remitte faſſis omnia crimina:
Noctemq; laſſis hanc ſine proſperā
Ne quo premamur pondere perpe-
Ludibriis nos exime Dæmonū; (rām.
Noſtrûmq; cuivis da Genium Bonum:
Tū quando Vitæ veſpera venerit,
Et fas ſoporem vincere non erit,
Ni-

Niſi Miniſtri *claſſica dum* Tui *(tui,*
Clangent, & ibunt pulvere mor-
Illumina nos, ne tenebræ ruant,
Noſtrasq́; Mentes turpiter obru-
In TE *ſed aptè fac requieſcere, (ant!*
Fac nos perenni tempore vivere;
Fac muſicis TE *pangere clauſulis*
Pangende cunctis, Rex Bone, *ſæ-*
culis! Amen.

ODE CCXXXIV. VESPERTINA.

„ *Nocte dieq́;* Meum *quæro ſeroquè* DEUM.

TOtius Orbis Lux*, Sacra TRINITAS,
Eſſentialis *ſed ſimul* UNITAS,
Infunde cordibus Tuorum
Lumen *ab Arce Poli, piorum!*
Ut noſcat Unum NUMEN Amabile
TE *Mundus ingens &* Venerabile,
DE-

DEŨ PATREM, Tuumq́, GNATŨ
Conſimilem *pariterq́,* FLATUM.
Iam Sole merſo Nox gravis ingruit,
Terras tenebris & magis obruit,
TE *deprecamur (ah!) gementes*
Pelle dolos Satanæ furentes!
Nã Lux *perennis cunctà fovet* Tua,
Vt parva, ſic & maxima, vi ſuâ;
Non absque TE *cadit puſillus*
Vertice de capitis capillus.
Hæc cùm gubernes omnia Dexterâ,
Es *notus altum cuiq́, per AEthera;*
Hinc eſſe noſcunt TE potentem
Omnis in Orbe rei PARENTEM.
O quàm profundus fons Sapientiæ!
O quæ Tuæ *ſunt facta* Potentiæ!
Quæ vox nec humani ſcit oris
Sat celebrare metris canoris.
Da JOVA *magnã* Summe *Potentiã,*
Da CHRISTE *diam, da* Bone,
Gratiam, *Da*

Da PNEVMA *tale ſcire munus;*
Nāq; Salutis Es AUTOR Unus! A.

ODE CCXXXV. VESPERTINA.

„ *Qui pius implorat* CHRISTUM; *feliciter orat.*

CHRISTE, Lux *Mundi ſine fine lucens,*
Et diem pulſis tenebris reducens,
Qui Tuo *mentes rutilante noſtras*
Lumine *luſtras:*
TE *piis rurſus precibus rogamus,*
Et Ducem *ſomni placidi vocamus;*
Da Tuæ *nobis requiem* Salutis
Ducere tutis.
Ne gravis ſomnus veniat ſuper nos,
Impetus Hoſtis prohibe ſuperbos;
Neu Caro noſtram vitiis tumentem
Det Tibi *mentem.*

So-

ſomnium captent oculi quietum,
Semper ad TE *cor vigiletq́, lætum,*
Protegat nos TE, Tua, *diligentes*
Dextra *clientes.*
Cerne, Defenſor, *famulos gementes,*
Atq; conatus cohibe nocentes;
Nec gregem parvum properes in irâ
Plectere dirâ.
Sis memor noſtræ, Bone CHRISTE, *fortis*
Sub ferâ duræ gravitate mortis,
Verus ad Cælos animisquè præſtò
Ductor *adeſto!*
Laus DEO PATRI *pia ſit* Potenti,
Laus ſit & GNATO *populos regenti,*
FLAMINI *laus ſit bona cuncta danti,*
Nosquè iuvanti. A.

ODE CCXXXVI. è Pſalmo 94.

„Quis-

„ *Quisquis es, in rebus noli ſperare caducis,*
„ *Sed cupiat tua mens* æternæ *gaudia* Lucis.

O ALTOR *Orbis, ultor hoſtium*
DEUS, (MEN *meum*!
Fac noſcat Hoſtis ut Tuum NU-
Plebis Verende CENSOR *auſus*
exere,
Ac arrogantes ultione contere.

Quousq; tandem, RECTOR *Or-*
bis Optime, (*mei*
Faſtu tumeſcet mens malorum peſſi-
Hærens lacunis criminum, Cohors
iacet,
Lætatur, & gerris meris ſibi placet.
Prolē Tuā *petunt feroces calcibus,*
Hereditatis *invidentes dotibus.*
Cælo beandæ Veritatis *convenas*
Necant, pupillos opprimunt & ad-
venas; (*gligit,*
Crepantq; ſic: En, hos JEHOVA *ne-*

Nec

Nec fanda mente vel nefanda colligit!
Quare profundâ fæx latens caligine
Ignaviæ iam proruas voragine.
Videre qui *dat, auribusq́ proſpicit,*
Nil audit Ipſe *prorsùs? & nil conſpicit,*
Qui *Nationes in profundo vortice*
Cuſtodit, ad littusq́ fert ceù cortice?
Annon iniquæ facta Conſcientiæ
Multabit, almæ *Dexterâ* Potentiæ,
Cordis latebras, muſculosq́ corporis,
Qui *cogitatus ſcit probatq́ pectoris?*
O ter beatus ille, cui DEUS *favet,*
De caſibusquè ſingulariter cavet!
Præſcripta Legis *quem docet Sacerrima,*
Contra pericla protegens acerrimè.
Is latioris luſtra cernet Sæculi,
At Grex ſceleſtus annui vix circuli

Soles videbit; actuumquè fraudibus
Conſtrictus, Orci conflagrabit ignibus. (*Benignitas,*
PARENTIS *haud vult* Cælitis
Vt obruatur Ejus *hæc Hereditas,*
Tumultuari nec ſinet nefarios
Super Piorũ *reculas Sicarios;* (*get,*
Sed ad Tribunal Æquitatis *colli-*
Crimenq́ʒ faſſos cernuosq́ʒ corriget.
At quis malignos cinget apto tegmine?
Pro factioſo quis loquetur nomine
Buſtis diu iã conderer fœtentibꝰ,
Auras relinquens ãrtubus trementibus, (mine,
Ni Summus Ille JOVA *forti* Nu-
Me ſublevâſſet è Polari cardine;
Et ni rigâſſet pectꝰ hoc Clementiâ,
Quam nulla novit eloqui Scientia.
Sortis furentis iactitarer fluctibus,

Ac

Ac implicarer lacrymoſis luctibus,
Ni per quieta me tuliſſet littora,
Et reddidiſſet, iam ruenti, robora.
Tum cogitabam; quid DEO *cum turpibus*
Monſtris, malis qui partibus vel artibus
Bonis abhorrent, & doloſa livido
Emolliuntur ore, corde perfido?
Qui machinantur falſitatis ſomnia,
Et ſtrangulare Vera tentant omnia!
At Fabricator Orbis *intuebitur*
Greſſus meos, fiduciam tutabitur,
Peccantibusq́; præmiũ dignũ dabit,
Suis & illos fraudibus peſſumdabit;
Ultor tremendus, qui *ſedens in AEthere,*
Pios ſecundat ſempiterno fœdere.

ODE CCXXXVII. Hominis DEO dediti, ratione non unius debiti.

„ *Quæ facis, aut faris, niſi* IOVAM *ſæpè precaris,*
„ *Fruſtrà ſudabis, damnaq́; multa dabis.*

TIBI *me trado* JEHOVA
Et conſecro totum;
Ah, metra Servuli *nova*
Capiasquè votum!
Oneratus variarum
Diſcrimine rerum,
Levaminis traho parùm,
Ob iter ſeverum.
Bene cœptum malè finit
Hoc tempore ſævo:
Sic nempe Mundus haud ſinit
Sit ut absque nævo.
In eo ſit Status acer,
Nec qualis in annis
Dum vixerat chorus Sacer

Va-

Vacuus Tyrannis.
Animarum Reparator,
Ah, JOVA Supreme,
Omnisquè commodi Sator,
Mala cuncta deme.
Sine Te *Mens ſcelus halat*
Nec per Bona tendit;
Quin fida nî Spes *hanc alat,*
Magis id prehendit.
Hominum Vita, quid, oro,
Per ſe facit unquam,
Choro quod adſtet aut Foro
Placeatquè? nunquam.
Abit omnis Probitatis
Hinc indéque nervus;
Nec horulis valet ſtatis
Status hic protervus.
Ubinam Candor amœnus
Abſconditus hæret?
Pium *receſſit quò* Genus?

Nimis, ecce, *mœret!*
SCH*ola Lucis, crucis Ara*
Rectè vocitatur:
Ceù Mundus hic fœtens hara
Benè nominatur.
C*aro ne me trahat à* TE
Fac ô Pie CHRISTE!
PARENTE Supremo *Satē*,
Nocitura ſiſtē!
O*pus eſt hoc* Tibi *ſuetum*
Succurrere presſis,
Rufi Draconis ob metum
Laqueosquè fesſis.
N*ova me vita ſequatur,*
Quæ ſit Tibi *grata;*
Et pœnitentibus datur
Vitiis levata.
I*ta* TE *laudè ſonabo*
Mi CHRISTE *recenti,*
Et mille victimas dabo

Stu-

Studio frequenti.
Utinam quæ mihi pridem
Promiſſa fuêre
In Paginâ Sacrâ, Fidem
Valeant fovere!
Sequar ut TE, *fac id, oro,*
Nec CHRISTE *morare!*
In Cælico nam TE *Choro*
Cupio ſonare.
Tua *me* Paſſio *ditat*
His talibus auſis,
Pro me PARENTI *dum litat*
Lytron, absque pauſis.
Benedicam Tibi *tali,*
Pro Munere pronus:
Tu *ne quid ingruat mali*
Mihi ſis Patronus! Amen.

„ *Me* Tibi *commendo,* Te *fretus ad Æthera tendo*
„ IESU *Gnate* DEI, *ſit* Tibi *cura mei!*

ODE CCXXXVIII. Hominis DEI opem expetentis, expectantisquè.

„Quem Satanas pungit, DEus *hunc ſolatur*
& ungit:
„Qui premitur fatis, hunc beat Ille *ſatis.*

TOtus, ô JEHOVA *fortis,*
Sub rigore dego Mortis;
Ni meos leves reatus,
Eſſe vix queo beatus.
Bilis intumeſcit aſtu
Dæmonis, multoquè faſtu:
Subveni ſed Tu clienti
TE Patronum *diligenti.*
AStra pande iam rogatus,
Nec ſcelus, quo ſum gravatus,
Strictiore volve curâ,
Quin procul repelle dura.
HAVrias preces benignè,
Nec ſinas premi malignè;
Namque Tu Vindex *&* Ultor

Æqui-

Æquitatis Es*què* Cultor.

SCHema nutat huius Orbis,
Et novis onuſta morbis
Corruit natura tota,
Hinc Fide procul remotâ.
COncio furit malorum,
Inſtat, infeſtat Piorum
Caſtra; cùm mores honeſtos
Tollit, & ſerit ſceleſtos.
*NI*Redemtor *hiſce criſtis*
Dexterâ forti reſiſtis,
Vix futurus ſalvus ullus
In Solo degens homullus.
VSquequò tonabis irâ
Aſperâ, flagrante, dirâ?
Nilnè reſpicis precantes,
Seduloquè ſupplicantes?
Tempera ſed iam furorem,
Nec magis nega favorem,
O Salus *diu cupita,*

O piorum certa vita!
Bellicos repelle motus,
Sisquè noſter uſque totus:
Dulcè ſic Tibi *canemus*
Iugiterquè ſerviemus. Amen!

„ *Sum* CHRISTI *naſcens, juveneſcens, atq; ſeneſcens;*
„ Hujus *ero moriens*, Hujus *& exoriens.*

ODE CCXXXIX Hominis verè Contriti ac Pœnitentis.

„ *Amiſſū tempus, commiſſū crimen, omiſſum*
„ *Rectū deplores, veniamq; frequentiùs ores.*

☞ H*Eû mihi! quàm territat*
Me cor inquietum;
Et timore palpitat
Pectoris ſecretum:
Fœditate criminis
Percitam Superni
Horret iram NUMINIS,
Et rogos Averni.

Ter-

✱ *Terra, Cæli, me* DEUM
Provocâſſe clamant;
Provocati me reum
Vndiquâque damnant:
Vanitati ſubiici
Se meæ queruntur,
Et nefas (heu!) Vindici
Hoc ſuo *loquuntur.*
♃ *Vah miſer! vah perditus!*
Quid capeſſam rerum?
Me periſſe funditùs
Clamat ipſum Verum!
Ortus ipſe patrius,
Immò vita tota,
Semper & nunc & priùs
Pravitate fota.
☉ *Ipſa mox iniquitas*
Fœda mecum cœpit,
Matris ut fœcunditas
Ventre me concepit:

Ipſe verò devia
A DEO *ſecutus,*
Labe nunc vel propriâ
Mergor involutus.
☞ *Dira deſperatio*
Imminet ruenti:
Nam quod ægræ, neſcio,
Dem levamen menti!
O DEUS, *mea,* DEUS
Iuſte Judex *labis,*
Ergò me DEUS *meus*
Tartaro damnabis?
❊ *Si ſecundùm me meos*
Iudices reatus,
Inter (heû!) iam ſum reos,
Tartaro damnatus.
Et quid adversùs fremam
Dignus iſtâ ſorte?
Dignus ut ſemper gemam
Cum Stygis cohorte!

At.

✠ *Attamen* Tu Gratiæ,
Tu *Benignitatis*,
Tu PATER *Clementiæ*
Et Beatitatis,
Nullius lapſi ſuâ
Morte delectaris;
Pœnitentem ſed Tuâ
Gratiâ *dignaris*.
⊙ *Pœnitet (vah!) & piget*
Me peractæ vitæ,
Et dolore mens riget,
Quòd laceſſivi TE!
Parce, parce mi DEUS,
Mole nam laboro;
Gratiam Tuam *reus*
Atque ſons implore.
☞ Gratiâ *caſſo* Tuâ
Eſſe brutum præſtat;
Morte brutis à ſuâ
Nam mali nil reſtat:

At mihi crudelibus
Vindicis Gehennæ,
Reſtat hinc in ignibus
(Heû!) mori perennè,
✻ *Eſt mori, mori meum*
Sæculis æternis!
Ni mihi TE *das* DEUM
Motibus Paternis.
O movere FILII
Innocenti Morte,
Ne gregis ſub impii
Comprehendar ſorte!
✠ *Eius Innocentiæ*
Me lava Lavacro,
Quâ ſcaturit Gratiæ
Fons *Cruore Sacro;*
Et latus ſtridens hiat
Pectoris recluſi;
Da latex *me perfluat*
Sanguinis *profuſi,*

Sic

⊙ *Sic ab omni crimine*
Purus & ſolutus,
Stabo coram NUMINE
TE Supremo *tutus:*
Nec timebo tetricum
Judicis *rigorem,*
Quando mittes hoſticum
In malos furorem.
☞ *Credo, credo firmiter*
Hoc ſolutus nodo,
Me DEUS *benigniter*
Spectat; haud me rodo!
Ampliùs iam deſinit
Me dolor vexare,
Mensquè noſtra pracinit,
Geſtiens ovare.
✱ Tu *veni tantùm citò*
Mi Redemtor CHRISTE,
Atque me perducito
Ad Polos, & ſiſte

Hîc

Hic ubi per ſæcula
Eſt Tuorum Cœtus,
Cumquè ſuavi clauſulâ
Occinit TE *lætus.*
✠ *Laus ſit expers termini*
Cũ PARENTE GNATO,
Sit decus SPIRAMINI
Sit melos Beato;
Vt fuit verum priùs
Semper in ſolamen,
Omnibus ſic verius
Sæculis ſit. Amen!

„*Quando* DEUM *laudas, ſcelerum celer oſtia claudas;*
„ *Quod niſi ſapè facis, ſemina vana jacis.*

ODE CCXL. De humanâ fragilitate.

„ Eſſe, fuiſſe, fore, *tria florida ſunt ſine flore;*
„ *Nam ſimul omne perit, quod* fuit, eſt, & erit.

„ *Quod*

„ *Quod* fuit, eſt, & erit, *perit articulo brevis hora:*
„ *Ergò quid prodeſt* eſſe, fuiſſe, fore?

QVid eſt, JEHOVA Maxime,
Noſter Creator *Optime*,
Quod ſit ſuäve triſtibus
In hoc Solo Mortalibus?
Nam quando vitam ſumimus
Mox lacrymas emittimus!
Quin Matris intrà viſcera
Sunt plurimorum funera.
Sin vita cedit longior,
Fit in dies amarior,
Repleta luctu, fletibus,
Subiecta mille caſibus.
Ac, eſto, *ſæpè ſplendeat,*
De ſe nitorem ſpondeat;
Subindè ſed convertitur,
Firmo Statu non utitur.
Quin tam nec umbra præterit,
Quàm vita nos hæc deſerit;
Dul-

Dulcemquè fert Mors omnibus
Noſtris quietem fletibus.
Iuva JEHOVA *proſperè*
Vitæ dolores vincere,
Noſtrumquè poſt hunc exitum
O transfer ad TE *Spiritum!*
Sic TE *vehemus laudibus*,
Cæli recepti ſedibus,
Tam liberalem *ſingula*
Per ſæculorum ſæcula. Amen!

ODE CCXLI. Sub Cruce & afflictione.

„ *Digne coli,* REX CHRISTE Poli, *me linquere noli!* (DEUS.
„ *Sum miſer usque Reus,* Tu *Bonus usque*

P*Recum levi ſuſurro*
Ad TE, DEUS, *recurro,*
Speî nixus adminiclo
In quolibet periclo.
Dignare, quæſo, *feſſum,*

Ne

Ne mens relicta peſſum
Flectat ſub Axe greſſum,
Conduplicetquè leſſum.
Meæ, JEHOVA, *moli*
Infenſus eſſe noli:
Sed tolle quicquid urget,
Vel vanitate turget.
Sævi doloris ictus
Dum vito derelictus,
Tu Vita *grata præſtò*
Mihi, REDEMTOR, *eſto!*
Ne fortè merſer atro
In fluctuum barathro
Adſtes opem ferendo,
Portumquè ſuggerendo.
JESU benigne, *fortis,*
Meæ miſerte ſortis,
Telum retunde mortis
Et impiæ cohortis!
Sim vilis atque ſpretus,

Ero

Ero tamen quietus,
Tuo Favore *fretus*
Et de Salute lætus.
Nil prorsùs expaveſcam,
In TE *ſed acquieſcam,*
Verbis Tuisquè credam,
Nec TE, LYTROTA, *lædam:*
Refectione vivâ
Quæcunque ſunt nociva
Vitabo parte Divâ,
Sicut virens Oliva.
Tuum fidele Scutum
Me reddet usque tutum,
Sub morte convolutum
Vitæquè reſtitutum.
Curas proindè ventis
Relinquo turbulentis,
Tibi *dicatus uſque*
Vivusquè mortuusquè! Amen..

ODE

ODE CCXLII. Pro ſolatio ægrotantium, ex JEHOVÆ dicto, Exod 15. v. 26.

„IESUM *lingua canat*, qui *mentis Vulnera ſanat.*

DOloribus gravati
Morboquè noxio,
Et ſub rigore ſtrati
Frequenter anxio,
Feramur ad Polum,
Vbi Beata Vita,
Votis tot expetita
Poſt hoc manet Solum.

MIſella morbidorum
Sors eſſe creditur:
A fraude perfidorum
Cùm ſapè læditur;
Quin & domeſtici
Hanc non parùm reprêndunt,
Quum nequiter rependunt

Bo-

Bonæ malum vici.
NUSquam poteſt haberi
Tam pharmacum ratum,
Per quod queat caveri
Mortis genus ſtatum:
Pæon nec uſpiam
Tam proſper eſt repertus,
Per quem miſer refectus
Vitet necis viam.
DEbemus ergò ſursùm
Vultum reflectere,
Et ad Beata curſum
Theatra vertere:
Sic namque præcipit
JEHOVA *noſter* Almus,
Nec ullus auſa Pſalmus
Fidemquè decipit.
USu docemur ipſi
Praxiquè plurium,
Morbi quòd ex eclipſi

Vita

Vincliſquè febrium,
Nos JOVA *liberat;*
Nec deſerit miſellos,
Sed curat imbecillos
Vim ſi quis inferat.
SAlus ab Hocce *manat*
Ceû PATRE *proſpero,*
Quæ corda noſtra ſanat
Morbo ſub aſpero:
Nil prorsùs hic valent
Herbæ, nihil trochiſci,
Chirurgiciquè diſci,
Ni cælitùs calent.
NAtura labe fracta
Per ſe nihil ſapit:
Quin immò ni coacta
Sit, vix bonum capit.
Sed JOVA *firmiter*
Illam tuetur, unit,
Scuto ſuoquè munit,

Dum

Dum fervet hoc iter.
TORtor Satan fugatur
Nos Ille *cum fovet,*
Huîc *noſtra Mens iugatur,*
Vt ſub malis ovet;
Nec morbus ampliùs
Nos torquet aut moleſtat:
Quin Sorsquè Morsquè præſtat,
Quod JOVA *vult* Pius.
EST fas proindè multis
Hunc *ferre laudibus,*
Et abſtinere-ſtultis
Mundi furoribus,
Quos excitat Satan,
Nos eſſe vultquè tales
Olim fuère quales
Cum Core trux Dathan.
NObis nocere nemo
Sub REGE *tam* Bono
Poteſt in hac Eremo,

STA-

Statuquè diſſono.
Vbiquè vincimus
Et ſanitate fulti,
Fidequè Spequè culti
Huîc *vota dicimus.*
TERnemur haud deinceps
Mali furoribus;
Nam Summus Ille PRINCEPS
Suis favoribus
Nos extrahet Solo,
Ac præditos Vigore
Sub perpeti virore
Locabit in Polo. Amen!

ODE CCXLIII. Adflicti, ſub mole malorum ſuſpirantis quidem, ſed non deſperantis.

Haud meliùs morbis animisquè medeberis orbis,
Quàm ſi Spe Supero *ſubjiciaris* HERO.

QVouſque, mi JESU, *terar?*
Quouſque ſub malis querar?
Te CHRISTE *vivo, Maxime,*
Ac Optime!
An eſſe deſii Tuus,
Quòd nuto ſemimortuus?
Turborquè tetrè ſtridulis
Periculis?
Exſanguis allabor mori,
Meiquè ſeminex tori
Subſtrata fœdo, grandibus
Fœtoribus.
Quid multa? mortis me plagæ,
Per Orbis ambitum vagæ,
Quaſſant prehenſum fortiter,
Severiter.
Iſthæc videre TE *ſcio;*
Nam cuncta REX *omniſcio*
Nutu gubernas, & regis,
Ac protegis.

Vtcunque vultu turbido
Mihi repugnas morbido,
Me (ſpero!) poſtquam corriges,
Exporriges.
Sic ſapè nos amplecteris
Vlnisquè ſic preſsè geris,
Vt flatui non ſint moræ,
In corpore.
Sed eſto; ſemper ES PATER,
Dulcis, Bonus, ter & quater,
Et nos in ulnis cùm geris,
Et cùm feris.
Anguſta qui deſiderat,
Anguſta multa ſufferat,
Petatquè per faſtidia
Faſtigia.
Torvus tametſi me ſeces,
Quin immò prorſus eneces,
Durabo, ſpe niſus piè
Quavis die.

Ferire quàm diu placet
Feri, parata, Mens tacet,
Æquè ſubire tædia
Vt gaudia!
Tu *cor pavore conficis,*
Roburquè rurſum ſufficis;
Tu *nunc dolore vulneras,*
Nunc liberas.
Humana quando vis *perit,*
Divina *ſemet exſerit,*
Votisquè claret latiùs
Et gratiùs.
TE *nitor* Uno *firmiter,*
Fidelis Es *realitèr,*
Hoc, ut ferendo ſim, Bonus
Reges onus.
Cælum Solumquè corruet,
Igni ſolutum defluet;
Non præteribit Vox Tua
Dulciflua.

Es *Vita, Veritas, Via,*
Ah, verbulum dic; omnia
Flent, REDEMTOR Unice,
TE *vindice!* Amen.

ODE CCXLIV. Hominis cum gravi morbo luctantis.

„*Verbis non herbis, mediis nec* IOVA *ſuperbis,*
„*Teſtis ut eſt Orbis, morbis nos priuat acerbis.*

REx, CHRISTE JESU, *Maxime,*
Homo-DEUS *veriſſime;*
Adflicte, pro me, vi truce
Pro mequè cæſe dein Cruce.
Per iſta, quæſo, funera
Muni Tuâ *me* Dexterâ:
Cùm vita mortem, non ſine
Magno premet certamine.
Cùm viſus orbes luminis,
Affatus aures agminis,
Et ſermo linguam deſerent,
Anguſtiaquè cor terent:

Tandemquè Mens cùm non-ſuâ,
Vi comprimetur arduâ;
Hîc Miles interaneus
Hîc ſis mihi Dux, ô DEUS!
E valle me duc anxiâ
Paciſluæ mortis viâ,
Orci Dracones amove,
FLATU*què me* TUO *fove.*
Quando voles, facem trahe
Vitæ, ſinus in Abraha;
Humi cubet corpuſculum
Ad ultimum crepuſculum.
Latè mihi da ſurgere,
Reumquè clemens *aſſere,*
Et iunge Sanctis, immemor
AEthnæ ſcelestæ, quâ premor.
Quæ fundis ore lacteo,
Verbis Tuis inhæreo;
Amen, loquor veraciter,
Me diligenti firmiter:

Pro-

Propter tribunal non tremet,
Mors acris illum non premet,
Solo ſit immiſtus licèt,
Eſt, qui *decenter explicet.*
EGO Paternæ Dexteræ
Conſors, eum de pulvere
Putri potenter egeram,
Poliquè caſtris inferam.
Huic inſitus conſortio
Fruetur usque gaudio.
Id fiat, ô JESU, *citò,*
Eoquè me perducito!
Peccata Mitis *ablue,*
Fulcro Spei ſis cernuæ,
Mens donec intret leniter
Mortis, Tui *tenax, iter!* Amen.

,,Surſùm, dextrorſùm, prorſùm, & videasq́ retrorſùm, (ſùm.
,,Ne te per dorſum Satanas trahat usq; deor-

ODE CCXLV. Valetudinarii.

„ *Pœnitet is verè, qui ſcit ſua crimina flere:*
„ Salvator *gemitus ponderat, haud fremitus.*

HUc, CHRISTE, *verte lumina*
Ægriquè luſtra crimina,
Fac, ut Tuam Clementiam
In rebus arctis ſentiam.
Quam Petrus *olim ſenſerat,*
TE *quando ter negaverat,*
Quã Magdalis, *quã pendulus*
Perſenſerat Latrunculus.
Da, CHRISTE, *cum* Petro *piis*
Culpam fleam ſuſpiriis;
Cum Magdali TE *dulcibus*
Exoſculer complexibus,
Et cum Latrone *pendulo*
In altero TE *Sæculo*
Cernã, Choris *mixtus* Tuis,
Hy-

Hymnisquè laudem mutuis. Am.

ODE CCXLVI. Ægrotantis.

„*Quòd ſit vita levis quòd & omni tempore vana,*
„*Annon aſſerit Experientia quottidiana?*

NOn, CHRISTE, *dignum me reor,*
Dum mole morbi torqueor,
Vt me gementem viſites,
Verbum *ſed* unum *dictites:*
Tum Spiritus ſtatim meus
Ad TE *reſurget, ô* DEUS,
Tibi*què dicet ſuavibus*
Sanatus hymnos cantibus! A.

ODE CCXLVII. Valetudinem recuperantis.

„*In ſummo trita poſitum diſcrimine vita*
„*Me* IESUS *ſerva, ne det vis damna proterva.*

NVper *precabar; Ah* DEUS, *veni,*
Mihiq́; preſſo ſubveni! (veni!

Nō muſteg ſū, ceū pri9, ſed buſteus,
Ergò veni, DEUS *meus!*
Quid (ah!) moraris? iam veni, PATER, *veni*,
AEgro mihiquè ſubveni!
Venit rogatus, atq́; ſubvenit DEUS,
Fuitquè Protector *meus.*
Huîc *ergò grates concinā, donec cit9*
In me manebit Spiritus! Amen!

ODE CCXLVIII. Gratias agentis, pro Sanitate mentis & corporis.

„ *Aſpera* Crux CHRISTI *lux eſt mihi proſpera triſti:*
„ *Namq; meo duras pellit de pectore curas.*

QVòd *ſim priori ſanitati redditus*
Novâquè vita præditus,
Agnoſco, CHRISTE, *gratiasq́; cogito*
Tibi *ſonare iam citò.*
Tantū Tui *me robora vi* FLAMINIS
Or-

Orſumquè probe Carminis.
Quin immò veſte Sanctitatis in-
In mequè totus influas; *(due,*
Contra furentes ut tegar ſic AEolos,
Pergamquè tutus ad Polos.
Vbi perenni nablio TE *concinam,*
Nec impediri me ſinam:
Cum Cælicisquè gaudeā Cohortibus,
Carnis levatus ſordibus! Amen.

ODE CCXLIX. Ejusdem ardoris.

,,Sit CHRISTO *gratus, morbis hoc ſine levatus.*

D*ixi*, (recordor!) *laſſulus,*
Crucisquè longæ baiulus:
Adiutus occinam DEO,
PATRI *meo,*
Iſthac favoris Ilias
Fugare moles anxias
Quæ ſic mibi cordi fuit,

Iam refluit.
Exſangue vitæ vaſculum,
Robur prehendit maſculum,
Et ſanitatis munera,
Et cætera.
Nam cuncta quis recenſeat?
Aut cogitare quis queat,
Quæ JOVA *præſtat cordibus*
Fidentibus?
Tibi, PATER, *ſit gloria,*
Qui *carnis auſa turpia,*
Strictim, cruces per aſperas,
Expulveras.
Ex ore qui *lactentium,*
Semeſa proferentium
Amas, amabis quæ pio
Cantu cio! Amen.

ODE CCL. Ad bene beateque moriendum ſe præparantis.

Nul-

„ *Nullus tam fortis, cui parcat Curia Mortis:*
„ *Regia Majeſtas, omnis terrena Poteſtas,*
„ *Proſperitas rerũ, ſeries longinqua dierum*
„ *Tranſiet absq; morâ, Mortis dum venerit hora.*

I*N ultimo Vitæ meæ diſcrimine,*
Tuo *miſertus* Numine,
Adſere me DOMINE.
Vocem palato cùm negabit iã dolor,
Et decidet vultu color,
Sis *mihi*, præſtò, *precor.*
Quũ ſenſ9 aures deſeret, cor halit9,
Verbo Tuo me Spiritus
Erudiat penitùs.
Cæcutientem mortis in caligine
Luſtra Tuo *me* Lumine,
Vnica Lux *Animæ!*
Lux *ad viam Salutis eſt* Fides Tui,
Hac me, ſimul cùm langui,
Ne ſine deſtitui.
Præſta mori fretum Tui *fiduciâ,*

Ne criminis Mens conſcia
Specadat & veniâ.
Et Spiritum carnis ſolutum carcere
Sinu Tuo *mox adſere*,
Neu pereat, patere. *(reum,*
Me Mortis æternæ Satan damnat
Et ſentit, iratum DEUM
Culpa, ſcelusque meum.
At Tu Tui *me rore ſparſū* Sanguinis
A Labe mundum criminis
Redde, SALUS *hominis.*
Per Paſſionis *dira* duræ *funera,*
Per ſæva quæ Tu *Vulnera*
Ob mea fers ſcelera!
Livor Tuus *meo medetur vulneri,*
Mors *tetra noſtro funeri,*
Et Meritum *ſceleri.*
Tu *conſtitutus* Es Salutis januà,
Sic fido, ſic ô mutua
Sit mihi Vita Tua!

Quan-

Quando voles, hinc me vocabis; en,
Sū-vivus & ſum mortuus! (Tuus
CHRISTE, *veni cuius!* Amen.

ODE CCLI Ejusdem valoris & caloris.

„ *Quò l ſimilis Vento ſit Vita caduca, memento,* (rā.
„ *Nam fugit absq; morâ, nullâ revocabilis ho-*

S*Is* CHRISTE *præſtò mi* DE-
Dū ſermo muteſcet meus: (US,
Surdeſcet auris dum mea,
Me Spiritu Tuo *bea.*

E*ſto mihi ſolatio,*
Dum Mors premet Cor anxio;
Quando rigeſcent lumina,
Mens ſcandat Æthræ culmi-

B enigne Dux, Tibi *meum* (*na!*
Do Spiritum; Tu *des eum*
PATRI Tuo *Miti, Pio:*
Nam de Tuis *ſum, ſat ſcio!*

Ama-

A*mara* Crux *&* Mors Tua,
Patrata purgent mortua;
Ne lite me Satan gravet,
Tuus Cruor *mentem lavet.*
S*ermone Vitæ conſcio*
Adfer medelam *ſaucio:*
Da corde certus hauriam,
Quòd labe purus audiam!
Tuam, PATER, *da* Gratiam,
Sub mole da Conſtantiam,
Vt morte leni ſentiam
JESU mei *præſentiam.*
I*n* Hoc *obibo ſuaviter,*
Nam me redemit gnaviter,
Vitam perennem contulit,
Dum Morte *Mortem contudit.*
A*rce procul Stygis dolos:*
Duc Spiritum ſuprà Polos,
Vt Angelorum Cœtibus
Iunctus, veham Te *Cantibus.*

Na

N*æ* CHRISTUS *eſt ſolaminis*
Dator, Sacri*què* FLAMINIS;
Eſt Vita, Veritas, Via,
Spes Enthea Sedis pia.
Unùm *colit qui ſedulò*
Huîc Ille *fido Servulo*
Id ſufficit miraculi,
Expers ſit ut piaculi.
S*ic fata poſt hæc aſpera*
Trophæa figet proſpera.
Eſt iſtud ipſa Veritas;
Quævis abeſt hinc Vanitas.
K*atharma quando criminum*
Et Dæmonis moliminum
Me tangit, angit, permeat,
Solamen *hoc me recreat;*
E*t mulcet intùs pectora*
Sacrumquè præſtat Hectora,
Vivit REDEMTOR *quòd*
meus,

JE-

JESUS *Potens* HOMO-DEUS,
I s,cùi *meam dedi Fidem*,
Cor reddet ac fibras Item,
Quod, ſumma Lux cũ luxerit,
Putri ſolo redux erit;

M eumquè *coram videro*
DEUM, *ſimul revixero:*
Cernam Piorum Vindicem,
Et Impiorum Judicem.

A *h, hic nihil boni viget,*
Tantùm dolor, labor riget!
Hic mille morborùm greges,
Et denſa luctuum ſeges.

R *epullulant hìc Crimina,*
Ad uſque Mortis limina;
Mors ipſa terret ſpiculo,
Satan gravat periculo:

S *ed in ſepulchri fornice*
Corpus quieſcet hàc vice,
Angor faceſſet pallidus,

Lan-

Languor fatiſcet aridus.
K*anon* Salutis *proſperæ*
Quando ſonabit Æthere,
Vitâ novâ beabimur
Et perpetim lætabimur.
E*x urnulâ Cordis cavâ,*
Cruore, CHRISTE, *nos lava:*
Aufer iugum Mortis nigræ,
Nec-non ſitum Noctis pigræ.
I ESU, *ruunt pravi dies;*
Fletus, metus nos inquies
Vrget: revertas ocyùs,
Veni, veni velociùs! Amen.

„*Cur non,* CHRISTE, *venis, ut des ſolatia threnis?*
„*Cur nō jam plenis fundis nova gaudia venis?*

ODE CCLII. Mortalitatem Humanam recolentis.

„*Quod modò Mors urget, corpus revocabile ſurget,*
„*Buccina cū flabit; Vox,* Ite-Venite! *ſonabit.*

„*Quan-*

„*Quantus erit luctus, quum* IUDEX *dixerit*
Ite! (Venite!
„*Tantus erit fructus, quuum dixerit* IPSE,

F*Actus* Adam *de pulvere terræ,*
Ei9 ſtirps ego cogor hunc referre;
Ad tumuli quũ buſta revolvor,
In terra cinerem lutumq́ʒ ſolver.
Crimen atrox hæc damna refundit,
Corpus debile quando morte tundit:
Aſt Animam ſolatur Iëſus,
Vi *revixero* cujus, *ante læſus.*
Vt cinis, ignis, vilis arena,
Vitro dat decus, artifexq́ʒ vena;
Non aliter de pulvere parvo
Corpus JOVA *meũ refinget arvo:*
Corpus amœnum, lumine plenum,
Tecum, CHRISTE, *colens Polum ſerenum,*
Iuſtitiâ florebit in ævo,
Perfectè ſapiens, carensq́ʒ nævo.

Alme; Tibi *grates cano* CHRISTE,
Per TE *quòd veniat triumphus*
iſte,
Temet *ego poſt funera cernam*
Surgens de ſcrobe, ſtans diemquè
vernam.
Ocyùs adſis, Magne Redemtor,
Adventꝰ Tuꝰ eſt mali peremtor!
Nunc caro vilis ſpretaquè dicor:
Adſis, eripe mole, quâ fatigor!
Intereà dum, CHRISTE, *moraris*,
Hac Mens dulce tuis quieſcat Aris;
Corpus humo ſentito levamen.
Credentes Favor *ô ſerenet!* Amē.

ODE CCLIII. Ad felicem facilemq; obitum piè anhelantis.

„*Nō oritur, quòd nō moritur; moriaris oportet*
„*Si cupis, alma Fides ut te ſuper Æthera portet*,

O CHRI-

O CHRISTE, qui *per tot dolores*
Pro me tuliſti funera: (*aſpera*
TE *deprecor*, Tuã *mihi da* Gratiã,
Da, Summe Rex, Clementiã!
Vt cùm meorũ vis labaſcet ſenſuum,
Cùm vis fatiſcet artuum,
Mortisquè tela ſentiam, decedere
Hinc, CHRISTE, *posſim proſperè!*
Nil hìc Satã me terreat, nil barbara
Rufi Draconis Tartara.
Hæc tu *repelle* Victor, *& me dulcibus*
Solare mæſtum vocibus,
Meumq́;, cùm iã deſeret me, Spiritũ
Miſce phalangi Cælitum.
Corp9 quieſcat interim, dũ veneris,
Ius ferre ſæclis poſteris.
Hìc me recenti carne rurſus indue
Omnesquè ſordes exue,
Mihiquè Vitæ Cælitis *da dulcia,*
Vt

Vt TE *colam, commercia!* Amen.

„*Cū ſimus & limus, cùm res vilisſima ſimus,*
„*Vndè ſuperbimus? ſub terrā terra redimus.*

ODE CCLIV. Continens ſuſpirium Autoris, in mortis agone repetendum.

„*Cui Pietas tritæ moderamen & orbita vitæ,*
„*Is decreta rati benè ferre quit omnia fati,*
„*Quin* CHRISTO *gratus vivit, moriturq́; beatus.*

Non longam nimis, aut nimis recentem,
Nec copē magis, aut minùs decentē:
Sed durā ſatis (heu!) parùmq́; latā,
JOVA *tranſilii* juvante, *metam.*
Neglexi mea ſerviendò cunctis
Muſarum ſtudiis piisquè punctis,
Nullis noxius, omnibus benignus;
Non ſed propterea Salute dignus.
In CHRISTO *mihi ſpes fidesq́; reſtat,*

Is

Is ſolus *mea fata grata præſtat.*
Salve *Patria Chriſtiana* Cælum,
Ad Te dirigo Mentis hocce telum;
Tu contrà mihi ſis pericla velum,
Aciam-iā Tibi *mancipes anhelum!*
Quin JESU *potius benigne* ſalve,
Per TE *namq; patent in Axe valvæ!*
Tu *Cœli Via, Vita, Veritasquè,*
Tu *Dux, Lux, Bonitasquè, Charitasquè:*
Tu *noſter ſine labe Doctor audis,*
Tu *Spes, Gloria, Pax, Apexq; laudis.*
Tu *clemens animam meam tuere,*
Quæ TE *diligit appetitquè verè.*
Hanc Cœleſtibus inferas theatris,
Oſtendas faciem Tuiquè PATRIS.
Sic TE *carmine perpeti ſonabit,*
Quod Sanctus PARACLETUS *intonabit.*
Huic *ſit gloria tanta, quanta nullis*
Ver-

Verborum fuit explicata bullis! A.

ODE CCLV. Ex hoc Mundo immundo emigrare geſtientis.

Ex Luc. 2. v. 29.

„ *Qui* CHRISTO *credit, felix in Pace recedit.*

H*Inc evoca ſervum Tuum nunc* DEUS, Salutis *otia.* *(ad pia*
Nā ſic Tuū *prædixeras per* SPIRITŨ,
Nec hoc relinques irritum:
Ne carne ſolvar antè, donec dulcibꝰ
CHRISTI *fruar conſpectibus.*
Hunc in Salutē *præparâſti Gentibus,*
Quas Sol ſerenat, omnibus.
Lux *ornat* hæc *mentes tenebris obſi-*
Divisquè fictis deditas. (tas.
Lux *ſpargit Iſraëlis* hæc *latè piam*
Per ſecla longa gloriam! Am.

ODE CCLVI. In Agone fiducialiter ſe gerentis & erigentis.

„ *Funere* qui *triſti Mundi peccata luiſti,*
„ TE *precor* AGNE DEI, *ſit* TIBI *cura mei!*

SCio DEUM, *cui credidi,*
Huic *Cor meum concredidi;*
Servabit Ille *firmiter*
Concreditum fideliter.
Scio REDEMTOREM meum
Non eſſe mortuum DEUM;
Vivum ſed ac ſuperſtitem,
Suprà meum qui *ceſpitem*
In ultimo quondam Die
Conſiſtet omninò piè:
Ut vivus ad Cælos eam,
Et cum Beatis gaudeam!
Ibi *videbo,* QUEM *colo,*
Et conſequar, quicquid volo
Spe fretus iſtâ, nil truces,
Qua

Quas perfero, moror cruces!

ODE CCLVII. Hominis noviſſima recolentis.

„ *Quicquid ago triſtis,* Vox *inſonat auribus iſtis:* *(cuncti!*
„ *Hem Vita functi (Vocat hora) reſurgite*

O JUDEX, *Superis terror & Inferis,*
Olim Conciliū qui *ſuper impium*
Iras terribiles, inſatiabiles,
Effundes trucibus, CHRISTE, *furoribus,* *(cies*
Quid mecum facies? quum Tibi *con-*
Cogens ante thronum *per litui ſonum*
Turbas è foveis undique terreis,
Summè diſparibus conditionibus?
Heû! dū me propiùs metior impius,
Ad lævam Solii *ſtare mihi* Tui
Damnatus videor, ſæpeq; terreor.

Si ſint hæc animæ fata miſerrimæ!
Hæc intemperies me magis indies
Verſat, turbat, agit, diſcruciat, quatit;
Noctes atq; dies ſciſcitor inquies,
In quo me numero tunc ego videro?
Ah, tum peſtiferâ me, Pie, *libera*
Turbatũ, DOMINE, *ſollicitudine!*
Ecquidnam dubito, quin mihi perdito
Vitã *de Superis reddere veneris?*
Si ſum, ſiquè fui, ſi maneo Tui
Cœtꝰ *in numero, cur mea macero*
Scrutandis placitis corda reconditis,
Stabant ſideribus quæ *priùs omnibus.*

„*Quid ſis, quid fueris, quid eris, ſemper mediteris!*
„*Sic minùs atq; minùs peccatis ſubjicieris!*

ODE

ODE CCLVIII. Μνημονευτικὴ, in Exequiis Proximorum, non pereuntium, ſed præeuntium.

„ *Altera pars noſtri Cælo, pars altera cæni*
„ *Debetur, fato ſic ſtatuente ſtato.*

JOVA, *libera*, Benigne,
Nos ab atræ Mortis igne,
Quando CHRISTUS *ius ſonabit,*
Machinam Mundi novabit.
Ah, tenet nos ſemper angor,
Iam tubæ *ruatnè* clangor!
Namque tunc Solo reſurget,
Nunc metu Mors quicquid urget,
Tunc Decor, Lepor nitebit;
Mæror & Dolor ſilebit:
Tunc REDEMTOR *nos vocabit*
Adquè Dextram collocabit.
CHRISTE *Iudex*, Te *Tuorum*
Grex miſellus Orphanorum,

Rore *quem lavas* tepente,
Obſecrat, veni *repentè!*
Ceſſet omnis iam querela:
Sit Tuus Sanguis *medela!*
Nunc malum nos crimen angit,
Sed Fides TE *prona tangit,*
O ades, domum*què portes,*
Vt Tuæ *noſtraquè ſortes*
Sint idem; quò TE *ſonemus*
Perpetimq́ prædicemus. Amen!

„Qui tumulũ cernis, cur nõ mortalia ſpernis?
„ Tali nempe domo clauditur omnis Homo.

ODE CCLIX. Mortem in memoriâ ferentis, eidemquè morem gerentis.

„Per nullâ Sortem poteris depellere Mortem:
„ Omne, quod exoritur, Terra fit & moritur.

* *QVando Mortis horula*
Agon eritquè præſtò,

CHRI-

CHRISTE, PATRIS *vernula,*
Clemens mihi præſto:
Solus eſto DUX, *via,*
Præſta Tuum Favorem:
Sisquè menti Lux *pia;*
Pellas Stygis pavorem!
☞ *Impetant me crimina*
Vitæ meæ fremendo,
Ceù Maris discrimina,
Curis cor obruendo:
Mors tamen JESU *mei*
Et Vulnerum *cruores*
Fortis Arx erunt Rei
Contra truces furores.
☉ Corporis *membrum* Tui
Sum: Spe focillor illâ!
Cuius Ignis mutui
Sit emicans favilla!
Lenis in TE *ſopiar*
Tutusquè permanebo,

Sacla ſalvus ordiar,
Queîs perpetim vigebo.
✠ Tu *Redux factus Solo*
Nec me premes ſepulcro:
In PATRIS *regnas Polo,*
Sequar vigore pulcro;
Hîc ubi Tu, *mox ero,*
Tecum *perennè degam:*
Proin lubens hinc ceſſero,
Valeto Munde nequam!

ODE CCLX. In funere Amicorum, ſuâ morte mortem noſtram nobis refricantium.

„ *Pulvis & umbra ſumus, fuſusq; per aëra fumus;*
„ *Sed nihil eſt fumus, nos nihil ergò ſumus.*

H*Vîc* uni *iuvat hîc vacare* curæ,
Sis vitę *nimis ut memor* futurę!
Nam quod hîc niteſcit,
Sta-

Stare longùm neſcit.
Hoc in Patribus annota ſepultis,
Nôrant deliciis vacare multis;
Nunc iacent, & illæ
Par honor favillæ!
At vel Perſicus adſit apparatus,
Vincit hunc animus DEO *ſacratus;*
Hoc bono *retento*
Mille plauſus tento.
O quã Mens *iuvat innocens, dolores*
Quæ nullos movet intùs acriores!
Hâc quiete dives
Longa ſacla vives.
Quâ ſi quis caret, ad DEŨ *recurrat,*
HIC Verbo *graviora corda curat;*
Euge, ſume mentem,
Dum potes, recentem!
Nec, ſi Sors bona detinet, morare;
Nam Mors & Juvenes *ſolet necare;*
Nocte, vel ſub Ortum

Parca pandit hortum!
Hanc *nunquã potis es cavere* ſortẽ;
Annos mille trahas, ſubito Mortem!
Is *terendus cunctis*
Callis *eſt hic functis.*
Si Mundus ruet, oro quid moraris
His efferre pedem locis amaris?
Quære Cæli *tecta,*
Hæc quies *perfecta!*-A.

„ *Omnia tranſibunt, ſimul ibimus, ibitis, ibunt!*
„*Non Volucres penna, piſces nec in æquore pinna*
„ *Vnquam defendunt, quum Mortis debita pendunt.*
„ *Eſt commune mori, Mors nulli parcit honori;*
„ *Quando placet* CHRISTO, *de Mundo tollimur iſto.*

ODE CCLXI. De Patriç Cæleſtis jucundiſſimâ æternitate.

„ *Mens inhia Cœlo ſtudio ſublimis anhelo,*
„ *Deinde gradu Fidei ſcande theatra* DEI.

Quid

QVid Mundi cita gaudia,
Quid, Mens, *quæſo, cupis ludicra ſomnia?*
Nil incertius his vides,
Iſtis nulla fuit, nec ſupereſt fides.
Nux ſunt caſſa, nihil valent;
Cur his ergò bonis corda tibi calent?
Tu rerum DOMINUM *cole,*
Et, dum fortè tibi non colitur, dole:
ILLI *tu vigila, ſtude:*
Hic *donare poteſt te facili rude.*
Quàm felix, mea Mens, *eris*,
Terreni fugies cùm mala carceris!
Coram cernere tunc erit,
Cordis flamma tui quē *modò deperit.*
Hunc *defuncta doloribus*
Panges hymnidicis iuncta Cohortibus.
Illîc Angelici chori,
Illîc res hilares, & lepidi tori.
Illîc omnia mellea,

Illic nulla mali pocula fellea!
Illic nemo latet malus,
Hoſtis nullus, abeſt crimẽ, adeſt Salus.
Non eſt pauperis ibi,
Illic nullus opis, nullus eget cibi;
Lis illinc gravis exſulat,
Pax *illic facilis, quâ lubet, ambulat.*
Abſunt vis, odium, dolus; (Polus.
Quæ turbent requiem, cuncta fugat
Illic gaudia, Charitas,
Illic cantus, amor, plauſus, amœnitas.
Hac Spe præripe, Mens mea,
Et dic: Munde, vale, Sors fuge fellea!

ODE CCLXII. De egregiâ & plusquàm regiâ Chriſtianorum Hæreditate.

Ex Roman. 8. v. 17.

„ *Si mihi non ſint Orbis opes, neq; res, neq; ſit ſpes:* (CHRISTUS *opes.*
„ CHRISTUS *erit mihi Spes maxima.*

* *POſſidete Vos Avari*
(Poſſidere queis placet)
Quicquid hic poteſt amari,
Quodquè Cælo ſubiacet:
Nempe maſſas aureas,
Et domos, vel areas;
Quæ nihil probantur eſſe,
Si probari ſit neceſſe.

☞ *Quid iuvant opes feraces,*
Quid pecuniæ valor,
Quando Mors falces feroces
Stringit, & perit calor?
Nonnè cuncta corruunt,
Cùm dolores confluunt?
Deſerenda nonnè cuncta,
Quæ putas beata puncta?

✠ *Quando Mens anhela tranſit,*
Et novas ſedes petiit,

An per aurum, quod remanſit,
Auxili quicquam metis?
Num fores patent Poli
Per voluptates Soli?
Spiritusnè quid iuvatur,
Vt per has DEO *fruatur?*
⊙ *Ah, nihil poteſt iuvari,*
Nec capit ſolatium!
CHRISTUS *eſt, per* quem *parari*
Debet hoc Palatium,
Nil opum ſi ſuppetit,
Mens in hoc lucrum metit;
Dives hîc ſeges bonorum,
Et perennis fons honorum.
✻ JOVA *me donabit Vrbe*
Poſſidendâ iugiter,
Quam Cruces gravesquè turbæ
Non moleſtant turpiter:
Angelorum ſed cibi
Me parem reddent ſibi,

Et

Et Voluptas ſempiterna
Dona conferet Superna.
☞ *Antè* PATREM *tum manebo,*
Qui *Solo* GNATUM *dedit;*
Nec magis fletu madebo,
Nam triumphos impedit,
Quos feram de Tartaro
Ac Tyranno barbaro:
Quiquè *nunc mihi dat eſum,*
Me ſinit nec eſſe læſum.
✠ JESUS *ob meam Salutem*
Morſus eſt Morti datus,
Nevè turbet atque nutem
Ejus *impedit Status,*
Cujus *eſt meum decus*
Sub Coronâ, non ſecùs;
Inquè veſte nuptiali,
Abſque reſte noxiali.
☉ *Gaudio plenus videbo*
SPIRITUM SanctumDEUM,
Ac

Ac Beatis asſidebo
Antè PATRONUM *meum,*
Qui *potenter me regit*
Et ſinu ſuo tegit;
Mequè monſtrat eſſe Gnatum
Fœderis, DEO*què gratum.*
* *Quin Fidelium catervas*
Intuebor ſuaviter,
Non magis manere ſervas
Criminum; ſed gnaviter
Ferre melleum melos
Inter omnes Angelos:
Immò iunctus hisce, Pſalmum
Concinam frequenter almum.
☞ *Orcus ergò totus iras*
Et venena congerat,
Concitet turbasquè miras
Vel cataſtas conferat!
Nil timebimus mali
Nec minas Soli-Sali:

Nam

Namque JOVA *nos fovebit,*
Et cruces has amovebit.
♃ *Quid iuvat, res poſſidere*
Huius Orbis nobiles,
Nec tamen modum videre,
Quo ſient immobiles?
Plura quò quis poſſidet,
A Scopo plùs diſſidet,
Et pericla ſæpè multa
Sentit, atque fert inulta.
☉ *Poſſidere cum* Supremo
Si quid at CHRISTO *cupis,*
Diſſipabit hocce nemo,
Sit ferocior Lupis,
Nec fuit tam trux Homo,
Qui Fideles è Domo
Ætheris fugare noſſet,
Aut eis nocere poſſet.
✳ *Vos proindè, Vos Sodales*

Vos

Vosquè { *Liberi* / *Proximi* } *mei,*
Permanete, quæſo, tales,
Dextra *vult quales* DEI!
Ampla Vos poſſeſſio
Gaudiiquè penſio
In Polo manet beato,
Corde quod { *vovete* / *fovete* } *grato!* A.

ODE CCLXIII. Συμβολικὴ, Mentis immortalia curantis.

„*O mea Mens, ſursū mortalem dirige curſū!*
„ *Mens oblita Soli ſuſpice* Regna Poli!

MENS *preſſa tot dolorum*
Crucisquè ſentibus,
Intenta ſis Polorum
Templis *patentibus!*
Sic namque congruit,
Sic CHRISTUS *& Piorum*

CA-

Caterva praviorum
Modum tibi ſtruit.
IM*munitate multâ*
Magnisquè gaudiis
Sunt iſta Templa *fulta*
Velut cavadiis
Perennis otii,
Quo Cælites redundant
In Canticisquè fundant
Decus negotii.
MOR*s Orbis huius cuſus*
Decurtat æquiter:
Quis vellet ergò plauſus
Sperare nequiter?
Sunt cuncta Vanitas,
Quæ remur eſſe tuta,
Nec noxiis ſoluta
Fit ulla ſanitas.
TA*rdamur his in Oris*
Morbis graviſſimis,

Fra-

Fracti iugo laboris ,
Rebusquè peſſimis:
Nec ſuppetit quies,
Quæ det levamen ictis,
Proſitquè derelictis
Nox una vel dies.
LI*benter ergò ſursùm*
Ad Curiam DEI,
Mens, verte, quæſo, curſum,
Et carbaſum Spei!
Nam certa ſunt ibi,
Promiſſa quæ feruntur,
Et ſemper oggeruntur
In Bibliis tibi.
A *vanitate rerum*
Ibi levaberis,
Noſces & eſſe verum,
Fide quod aſſeris:
Et quod tibi DEUS
Parat, dabitquè certò

Sub

Sub germinante Serto,
Ceû Fautor entheus.

CUm *Cœtibus Beatis*
JESUM *fateberis,*
Te liberâſſe gratìs
De caſibus feris.
O Gloriæ decus!
Te nulla rixa turbat,
Nec fraus iniqua turpat
Labisquè dedecus.

REStat *quid ergò? Vitæ*
Quàm poſſe gloriam
Videre concupitæ,
Carnisquè ſcoriam
Buſto reponere?
Quod Tu, JEHOVA, *præſta,*
Ne Mens in Orbe mœſta
Cadat ſub pondere! Amen.

ODE

ODE CCLXIV. De beatâ perpetimq; deſiderabili viſione DEI.

,, *Da*, DEUS, *ah! da, da bene vivere*, Teq; *videre*,
,, *Da cum Cælitibus per ſæcula cuncta vigere!*

O Summe *rerum* CONDITOR,
Cæli iubar, terræ nitor,
Adſis Tuis, illumines
Vt cordium caligines!
Te, *Splendor illuſtrisſime*
Rerum, DEUS *pulcherrime*,
Præſente, *cuncta ſplendida*,
Abſente, *cuncta ſqualida.*
Tu *Solus* Es *clarisſimus*,
Tu *Solus* Es *charisſimus*,
Quin ipſa Lucis claritas,
Et vera cordis charitas.
Quando videbo, Spes *mea*,
Poſt fata Mundi ſpinea,
Vultum Tuum *lectisſimum*,

Pio

Pio gregi latiſſimum?
Cæli domus volubilis,
Mariſquè gurges mobilis,
Tuam *revelant* gloriam,
Et perpetem victoriam.
Nullo Solum fulcimine
Nixum, Tuo *ſtans* Numine,
Mirácla monſtrat omnibus
A TE *profecta gentibus.*
Vbique dona Dexteræ
Nobis Tuæ *fas cernere:*
Sed hæc quid ad me? Te DEUS,
Te *Spiritus quærit meus!*
Quando videbo, Spes *mea,*
Poſt fata Mundi fellea,
Vultum Tuum *clariſſimum,*
Pio gregi gratiſſimum?
Cæleſtis Aula concio
Ferens opem Gregi pio,
Vultum Tuum *nunc viderat,*

Rur-

Rurſusquè mox deſiderat.
Videre TE *medullitùs*
Gaudent Piorum Spiritus,
Pulſisquè Mundi nubulis,
Cæli fruuntur iubilis.
O ter quaterquè divites
Hac ſorte læti Cælites!
O quando tàlis audiam,
Cæliquè Nectar hauriam?
Quando videbo, Lux *mea,*
Poſt fata Mundi fumea,
Vultum Tuum *pulcerrimum,*
Pio gregi proſperrimum?

ODE CCLXV. De ſerio ac ſidereo Patriæ Cæleſtis deſiderio.

„ *Nemo poteſt ſcitè Cæleſtis gaudia Vitæ*
„ *Dicere: nempe* DEI *munus id, & Fidei.*

Q*Væ, quanta, qualis* Patria,
Sit Cælitum, *nos Pſaltria*
DA-

Davidis, atque Lex Nova
Informat: Ergò Grex ova
Hic Chriſtiane pœnitens,
Ac in periclis enitens:
Tibi paratur hoc Bonum
Vitæ gradum poſt diſſonum.
Non eſt ibi *moleſtia,*
Iucunda ſed Modeſtia;
Nec eſt ibi *defectio,*
Sed Lux, Salus, Refectio;
Non eſt ibi *crudelitas,*
Secura ſed fidelitas:
Nec eſt ibi *malignitas,*
Divina ſed Benignitas.
Non eſt ibi *perverſitas,*
Sed Pacis univerſitas;
Nec eſt ibi *faſtidium,*
Sed Gratiæ faſtigium:
Non temporis fugacitas,
Ævi ſed eſt æternitas,

Nec eſt ibi *rapacitas,*
Sed munerum capacitas.
Non eſt ibi *deformitas,*
Sed cum DEO *conformitas:*
Ibi *nec eſt immanitas,*
Sed à malis immunitas:
Ibi *nec eſt deſtructio;*
Sed in Sacris inſtructio;
Ibi *nec eſt iniquitas,*
Sed grata ſemper AEquitas.
Ibi *nec eſt obſcuritas,*
Sed Claritas & Puritas:
Ibi *nec ignorantia,*
Perfecta ſed Scientia:
Ibi *nec eſt inanitas,*
Sed absque morbis Sanitas:
Ibi *nec ulla parcitas,*
Sed ſumma Liberalitas.
Ibi *potens eſt Veritas,*
Ibi *patens Hereditas;*

Ibi

Ibi *Beata* TRINITAS
Et TRINITATIS UNITAS.
O fauſtus ille ter-quater,
Huc Ipſe *Patriæ* PATER
Quem ducit, attrahit, vocat,
Et cum Beatis collocat!
O CHRISTE, *talem me ſine*
Tuo *redemtum* Sanguine!
Fac, ut nihil petam magis
In Orbis iſtius plagis,
Quàm mixtus ut Choris Tuis
Hymnis canam TE *mutuis,*
Cum PATRE *cumquè* FLAMINE
Optabili ſolamine! Amen.

ODE CCLXVI. Ejusdem materiæ.

„*Præparat & reparat Cæleſtis gaudia Vitæ*
„CHRISTUS, *& allicit huc credentia pectora ritè,* (*Venite!*
„*Dicit &: ô tandem (ſunt cuncta parata)*

SEmpernè Mundo dedite,
Fauſtaquè ſorte prædite,
Quid ſit, rogabis, in Polo,
Quem ſic Pii preſſi dolo,
Nec-non periclis, appetunt?
An plus ibi, quàm tu, metunt?
Attende paucis, mox ſcies:
Eſt maior in Cælis quies,
Quietior ſecuritas,
Securior beatitas,
Beatior tranquillitas,
Tranquillior felicitas;
Felicior iucunditas,
Iucundior ſublimitas,
Sublimior ſinceritas,
Sincerior ſuävitas,
Suävior ſalubritas,
Salubrior vivacitas.
Vivacior celebritas,
Celebrior ſolennitas,

So-

Solennior feſtivitas,
Feſtivior perennitas,
Quàm cogitare poſſumus:
O cur ibi *iam non ſumus!*

„ *Dum, bone* CHRISTE, *redis, dum ſigna ſalutifer edis*
„ *Sub clangore tubæ, Vectusq́; per aëra nube,*
„ *Inter & angores, Cæliquè Solisq́, tremores,*
„ *Fac Tibi nos gratos,* Vitæ Superæq́; *paratos!*

ODE CCLXVII. De unico Vitæ æternæ Scopo, & vero Animarum noſtrarum Epiſcopo, CHRISTO IESU; è dulci S. Bernhardi jubilo.

„ *Eſt mel in ore Piis, & in aure melodia* IESUS;
„ *Eſt Bonitas* IESUS, *licèt haud ſemel undiq; læſus.*

IESUM *memento Cor pium*
Sonare ſemper, obvium:
Nam dulce præbet gaudium,
Regni DEI *præludium.*

Et quid canatur ſuavius,
Quid audiatur gratius,
Quid melle dulci dulcius,
Quàm PATRIS *almi* FILIUS?
Spes ILLE *pœnitentibus*
Fautorquè ſupplicantibus,
Vt charus eſt quærentibus!
Vt commodus tenentibus!
Quod poſſit HUNC *os dicere?*
Qua penna dignè ſcribere?
HUNC *corde quid ſit condere*
Expertus audet dicere.
JESUS *levamen Cordium,*
JESUS *lucerna Mentium,*
Hoc unicum ſolatium
Excedit omne gaudium.
Quid quæris HUNC *in lectulo?*
Quærendus eſt in cerculo.
Hoc invenitur hortulo,
Si quæris IPSUM *ſedulò.*

☞ *Cum*

☞ *Cum Magdalenâ curſito,*
Tumbamquè JESU *viſito:*
Non hûc ocellos geſtito,
Sed mente JESUM *quærito.*
Perfundo buſtum fletibus,
Clamoquè cum ſingultibus,
Stratusquè JESU *dulcibus*
Inhæreo complexibus.
JESU *lego veſtigia*
Ploransquè figo baſia:
Perfecta JESU *gratia,*
Vt tollat auſa noxia!
HIC *Ductor* ILLE *nobilis,*
Rex magnus, admirabilis,
Dulcedo delectabilis,
Et merx inæſtimabilis.
Tu *noſtra delectatio,*
Tu *cordis inflammatio,*
Tu *noſtra gloriatio,*
Tu *grata*, JESU, *portio.*

☞ *Maneto nobiscum, ſine*
Tuo *frui nos* Lumine,
Noctis procul caligine
Mentem replens dulcedine.
JESUS *amor dulciſſimus,*
Et omnium ſuaviſſimus,
Et omnium gratiſſimus,
Cultuquè iucundiſſimus.
Hic *corda viſat, æquitas*
Mox lucet his & Veritas,
Vileſcit omnis vanitas,
Et fervet intùs Charitas.
Hoc monſtrat Ejus Paſſio
Et Sanguinis *profuſio,*
Per quam datur redemtio
DEI*què* PATRIS *viſio.*
☞ JESU, *Parens Clementiæ,*
Spes gaudii, fons gratiæ,
Dulcedo mentis anxiæ,
Arx tuta Conſcientiæ.

Di-

Dignè loqui TE *non queo,*
Sed nec tacendo torpeo.
Amor facit, quod audeo,
Dum TE *ſonare gaudeo.*
JESU *mei dilectio,*
Eſt mentium refectio,
Amoris æſtuatio,
Omni carens faſtidio.
Hoc *qui cibari geſtiunt,*
Famem cibati ſentiunt,
Et plura, qui JESUM *ſciunt,*
Deſiderare neſciunt.
Quos Ille Fons *inebriat,*
Nôrunt, quid hic potus ſciat.
Beatus! hûc qui deviat,
Ut hunc ſaporem ſentiat.
JESUS *tragema Calicum,*
In aure dulce canticum,
In ore mel non-Corſicum,
In corde nectar Atticum.

☞ Tu grata, mi JESU, quies,
Deſidero TE millies,
Vultus Tuus feſtus dies,
Huîc cura cedit inquies.
Amore JESU langueo
Certo, ſuävi, melleo,
Hoc gaudio ſemper meo
Fructuquè vitæ gaudeo.
JESU ſtupenda ſuavitas,
JESU placens benignitas,
O quæ Viri felicitas,
Quē ſtringit huj9 Charitas.
JESUM queam comprendere,
Stat ampliùs nil quærere,
Malim mori, quàm vivere,
Dum fas ſit ILLUM cernere.
JESU levamen flentium,
Spes certa ſuſpirantium,
TE vota quærunt flentium
Et lacrymæ gementium.

Vbi-

Vbique præ dulci mero
JESUM *meum deſidero.*
Beatus! HVNC *ſi prêndero*
Prenſumquè non dimiſero.
Ad Hujus *oris oſcula*
Sunt vappa mellis pocula!
Hæc namque fluxa pabula;
At firma JESV *copula.*
☞ *Tandem reperto gaudeo*
Dulciſſimo JESV *meo,*
Amore cujus *langueo,*
QVEM *corde totus ardeo.*
Hic ardor ardet dulciter,
Dulceſcit ardens iugiter,
Sapitquè dulcis ſuaviter,
Et ſuaviatur dulciter.
Hic ardor ortus Cælitùs
Hæret mihi medullitùs,
Flagratquè menti ſubditus,
Hinc vim reſumit Spiritus.

Quod cordis hoc incendium!
Quā ſuave flamma præmiū!
Quā dulce, quā palmarium,
Amare Lumen Gentium!
Flos, CHRISTE, Matris *Virginis*
Ardor meæ dulcedinis,
Honor, decus, laus Numinis,
Regnum Beatitudinis.
☞ *O Sole*, JESV, *clarior,*
O balſamo ſuävior,
Dulcore dulci dulcior
Vnus*què cunctis gratior.*
JESVS *amanter afficit*
JESVS *levat, quem reſpicit,*
Mens HOC *in* VNO *deficit,*
Hic ſolus *illi ſufficit.*
O mentis oblectatio!
Amoris ô perfectio!
O noſtra gloriatio!
O Orbis inſtauratio!

Di-

Dilecte mi, *revertere*
Conſors Paternæ Dexteræ,
Orco ſubacto proſperè
Hoſtisquè fracto carcere.
Quocunque TE *feres, eo,*
Prorſus revelli non queo,
Infixus Es *cordi meo,* (DEO.
Quod languet absque TE
Huîc *Cælites occurrite*
Portasquè Cæli tollite,
Et, qui *triumphas, dicite,*
Salve, Poli REX *inclite!*
☞Rex *præpotens,*Rex *gloriæ,*
Rex *maximæ victoriæ,*
Largitor almæ Gratiæ,
Honor Polaris Curiæ.
TE *Cæles Aula prædicat,*
Tuasquè laudes replicat:
HIC, *inquit, Orbem iudicat,*
Et pro renatis ſupplicat.

In Pace JESUS *imperat,*
ILLI *quid Orbis præferat?*
HUNC *ægra Mens deſiderat,*
Oratquè, ne ſe deſerat.
PATREM *reviſit* IS DEUM,
Cælum ſerenans aureum,
A me Cor (heu!) tranſit meũ,
JESŨ *ſequens, quærens* EUM.
JESUM *ſequamur laudibus*
Votis & hymnis dulcibus,
Vt nos beatis ſedibus
Dignetur in Cæleſtibus.
☞ JESU, *veni,* REX *optime,*
Veni, Dator largiſſime,
Niteſce cordi clariùs,
Deſiderate ſæpiùs.
JESU, *meum ſis gaudium,*
Vt ES *futurus præmium.*
TE *noſtra,* JESU, *chordula*
Per cuncta laudet ſæcula. A.
Θεῷ δόξα!

LECTORI A.B.C.

Iterum Te alloquor, Amice Lector! partim ut ſtem promiſſis, partim ut me excuſem de admiſſis. Promiſſa quidem ſunt brevia, ſed non levia: eaq; in Praeloquio, ratione tum Praeceptorum (immò Praecentorum potiùs) meorum, tum Melodiarum facta. Praecentores mei, Viri ſanè Venerandi, fuerunt iſti: D. Thomas Mitis Lymuſaeus, M. Ioh. Roſacius, M. Ioh. Campanus, Profeſſores quondam Academiae Pragenſis (ſed diverſis temporibus) ut peritiſſimi, ita de Repub. Literariâ meritiſſimi, Scriptiſq; editis clariſſimi. Item, M. Daniel Schancius, Syndicus quondam Tuſtenſis, & Georgius Galli Chrudimenus, Theologus: quorum omnium complures Odas hinc-indè collectas meis inſerui, ſed majori ex parte ita à me correctas, ut jure meas dixeris; praeſertim in locis ab hiatu Eliſionum vindicandis, plenioriq; ac planiori Rhythmo vendicandis: quod ipſum ex collatione, ſi quis eam fortè inſtituere velit, facilè apparebit; exceptis 14. 66. 267 &c. quas è limpidis M. Campani laticibus hûc derivavi Atq; utinam M. Dan. Alginus Bobrovinus, M. Ioh. Stiſtor Rocheſanus,

*nus, & alii nonnulli Sympatriotæ mei anony-
mi (quorum hîc etiam non unam ſcias eſſe O-
dam) aut diutiùs vixiſſent, aut plura hujus
normæ ac formæ ſuſpiria concinnâſſent, non
inanem certè opellam Eccleſiæ Evangelicæ,
per vaſtas hujus Orbis convalles diffuſæ, locâſ-
ſent: quibus ut ſuccedant alii, potiori ac poli-
tiori Ingenio præditi,* Supremum Illud Nu-
MEN *ſupplex adoro. Volui autem iſtorum Vi-
rorum Odas ideò meis inſerere, ut inter eas e-
minerent, ſuâq; proſperâ lenitate, aſperam
mearum levitatem quaſi temperarent. De*
Generibus Carminum *deſignandis, non pa-
rùm (fateor) eram ſolicitus, ne, ſi cuivis præ-
figerentur Odæ, tantùm ſpacii occuparent,
quantùm vix inſcriptiones aut Periochæ: ſed
commodùm intervenit Amicus quidam, qui
ſcrupulum exemit, è Titulo Libelli oſtendens,
me hæc ſcripſiſſe Juventuti Studioſæ, quæ faci-
lè conjecturam de Metris faciet; non ignaræ
aut ignavæ quæ nec adfixas caperet quantita-
tes.* Melodias *porrò Cantori devoto indicabit
Index, easq; ſimplices ac ferè Bohemicas: qui-
bus ſi quis non fuerit contentus, poterit alias
quærere; vel certè ſuaviores brevi, pro re natâ
& occaſione datâ, 4. Voc modulandas, expe-
ctare. Sed hæc ſufficiant de promiſſis. De* ad-
miſſis *non multa expectes verba: Homo enim
ſum, qui nihil humanum à me puto. Noſti il-
lud Iacobi Apoſtoli, (cap. 3. v. 2.) In multis
la-*

ibimur omnes. Idcirco meum eſt, defectus hic
eos agnoſcere, *Tuum Verò* ignoſcere. *Sic i-*
noſcat ambobus DEus, *noſtrasq; ratas & gra-*
us habeat preces. Inprimis autem Te roga-
um Venio (Veniam proculdubiò dabis,) ut,
Pag. 86. lin. 15 *productionem mediæ ſyll. in*
oce Saxoniæ *per Diaſtolen excuſes: non enim*
oterat hîc haberi Vocabulum magis propri-
m. Pag. 148. *l.* 9. pro *conniVet*, ſcrib. *congru-*
Pag 418. *l. ult.* pro *deſiderio*, ſcrib *phron-*
iſterio. Pag. 508 *l.* 18. pro *plagas &*, ſcrib.
rucisquè. Cetera, ſi quæ irrepſerunt ſphal-
ata, candido Charitatis pallio, ipſe candi-
us, obVolVe; quin immò Odam XXXII. *in-*
onſideratè XXXI. *ſuppoſitam, æqui boniq;*
onſulè: quodq; maximè urgeo, inſperatam
eſtinationem, inter tot occupationum anfra-
tus, humaniter excuſatam habe.

Sic orat & urget

T. Hauſchkonius.

Index Odarum ac Melodiarum.

A *Bocto paſſionibus. Oda* 114. *Melodia* 35.
Ad Aſtra ſint ocelli. 148. 40.
Adeſto, Ductor *atq;* Doctor. 136. 43.
Adeſto, Iova *fortis.* 96. 40.
Ad montium cacumina. 71. 74.
Ad noVos adeſte Cantus. 8. 8.
AEterne Rex *Regum.* 118. 17.

AEthe-

Ætheris Creator. 21.25.
Afferte laudum victimas. 37. 14.
Ah, mater miseram! 121. 47.
Ah, quot Centuria Carnif. 84. 65.
Alma lux adeſt Ioh. 211. 8.
Amœna prodiit Dies. 9. 9.
Annon beatos ſe putant. 17. 9.
Annon IEHOVAE *quod pl.* 16. 14.
Annus occidit vetus. 169. 55.
An prorſus Alme jam Pater. 83. 43.
Audite cuncti, quæ IEH. 66. 16.
Auguſta Superaque Rector. 7. 7.
Auribus preces DEUS. 38. 3.
Bellis gravatis ſauciique. 94. 16.
Bellum Luesque triſtis. 222. 40.
Benedictus ſit benedictus. 77. 44.
Blanda quiete ſuaviter. 57. 74.
Cæli Monarcha *clari*. 60. 40.
Cælum petens Eccleſia. 215. 74.
Cantate vocibus piis. 133. 45.
CHRISTE, DEI *fili*. 174.*
Chriſte IESU, *Rex*. 70. 38.
Chriſte IESU, *præpotens*. 204. 64.
Chriſte IESU, *noſtra vita*. 190. 73.
CHRISTE, *Lux Mundi*. 235. 22.
CHRISTE, *juſtorum* Pater. 178. 22.
CHRISTE, *Majeſtatis apex*. 172. 22.
CHRISTE, *qui Lumen vocaris*. 226. 41.
CHRISTE, *Supreme Dominator*. 182. 22.
Chriſtiani milites. 11. 11.

Chri-

Chriſtianus eſt Homo 218. 68.
CHRISTI triumphus 197. 36.
CHRISTUS Agnus ille pur 189. 62.
CHRISTUS auſpex Grat. a 185. *
Caſtum DEUS torum probat. 138. 17.
Claudit ſuos Annus dies. 171. 75.
Commercium mirabile. 163. 75.
Conferentes nos placid. 227. 22.
Contra mille mali tela. 149. 42.
Coram DEO procumbere. 54. 36.
Coram Tui Vi Numinis. 105. 48.
Cor fidele gaude. 168. 54.
Corpus refectum. 131. 31.
Creator Alme Siderum. 23. 19.
Cuinam IEHOVA conquer. 186. 14.
Cum DEO dieque natus. 18. 15.
Cum DEO pergamo 13. 13.
Cùm noſtra natus ora Chriſt. 160. 16.
Cùm proximus nos hoſtis. 87. 16.
Cùm ſerpit auſu terribili. 101. 31.
Cùm ſorte blandâ perfr. 153. 16.
Cur, ô Homo ſceleſte. 183. 40.
De Chriſtianâ quæ Synaxi. 191. 16.
DEI favore plenam. 145. 40.
DEUS perennis Rex Poli. 69. 39
Devota Mens poſt tot. 21. 18.
Dicant Pii fidelibus. 124. 9.
Die peractâ nox ruit. 230. 31.
Diti (recordor!) laſſulus. 249. 58.
Doloribus gravati. 242. 26.

Do-

Dona da Pacis *ſerena.* 89. 41.
Dum fera falx Mortis. 95. *
Dum Sacris Vacamus. 192. 25.
Ecquunam Puer *eſt, fatere.* 162. 7.
Edenda quinque millibus. 125. *
En, CHRISTUS *Aſtris redditur.* 201. 63.
En, Nominalis ſive Natalis. 99. 43.
En, Nox præterit! 56. 47.
Eſt IESUS *hic, quid mœreo?* 73. 32.
Eſt nimis felix Vir is. 141. 22.
Ethnicis fuit Vetuſtus. 41. 30.
Eximia ſunt, CHRISTE. 6. 6.
Factus Adam de pulvere. 152. 78.
Fautor *Superni Luminis.* 207. 45.
Feſta Lux adeſt, tenelli. 164. 56.
Fili DEI *Sanctiſſime.* 205. 17.
Fruſtrà Livor edax. 81. 47.
Gallus, ſtatim dum Manè. 43. 31.
Gentes gementes undiquaque. 12. 14.
Grato DEI *nunc ô pias.* 161. 75.
Grates Tibi, DEUS, *fero.* 48. 17.
Gratias Tibi ſacramus. 79. 46.
Hæc dies donis dicata. 157. 8.
Hac noſtrá Vita pluribus. 151. 74.
Hâc die ſub Axe Cæli. 187. 60.
Hauri tuis hæc auribus. 81. 48.
Heû mihi! quàm territat. 239. 11.
Heû quot Tyranni præferoces. 221. 43.
Hinc evoca ſervum tuum. 255. 16.
Hinc-indè preſſi plurimis. 93. 16.

He-

Homo, diu nefandis jactate. 24. 20.
Homo miſer, puſillus. 115. 40.
Honor ſit atque gloria 78 45.
Huc adeſto Chriſtiane. 113 62.
Huc CHRISTE verte. 245. 32.
Huc miſſe Sancte SPIRITUS. 74. 17.
Huic uni juvat hic vacare. 160 80.
Iam cordis artus elevemus. 36. 16.
Iam noctis atra tempore. 231. 9.
Iam nunc, IEHOVA, cernimus. 106. 36.
Iam rurſus, ecce, vili. 51. 40.
Iam ſat datum labori. 224. 33.
Iam ſatis datum fuit. 170. 55.
IEHOVA Majeſtatis invicte. 102. 43.
IESUM memento Cor pium. 267. 82.
IESUM ſonemus invicem. 166. 57.
IESU, PARENTIS Gnate. 129. 31.
IESUS triumphat, Victor. 196. 43.
IESU, Salutis Autor. 217. 83.
IESU, Tibi ſit Gloria. 165. *
Impotens vaieto Munde. 26. 23.
In arduis rebus meis. 15. 17.
In IEHOVA ſpem locavi. 1. 1.
In laudibus Tonantis. 32. 26.
In mediâ vitâ, telis. 179. *
In Regibus ſpem ne locemus. 146 16.
Interemtor Inferorum. 195. 28.
In Te creata ſpem locant. 128. 17.
Inter omnes omnium labores. 2. 2.
Inter Orbis orbitas. 30. 24.

In



O VNITATIS TRINITAS. 50. 45.
Paſti bonis aſſurgimus. 132. 58.
Pe pes ô Amor DEI. 3. 3.
Pios quòd omnes ordines. 210. 9.
Plaudat Chorus Cæleſtium. 198. 76.
Poſſidete Vos Avari. 162. 69.
Præcepta dena, quæ 67. 36.
Præpotens rerum Creator. 109. 1.
Præpotens rerum Sator. 88. 11.
Precum levi ſuſurro. 241. 40.
Propago *Maximi* DEI. 34. 27.
Pulcris Elogiis Aſtra. 72. 42.
Quæ, quanta, qualis Patria. 265. 81.
Quæ ſint facta DEI *Manus.* 86. 47.
Quàm ſit beata, quàmquè. 22. 14.
Quando Mortis horula. 259. 79.
Quàm quietus horâ. 80. 40.
Quid eſt, IEHOVA *Maxime.* 240. 48.
Quid elevatum poſcit Hom. 202. 31.
Quid eſt miſello me magis. 208. 16.
Qui conquieſcit in DEI. 216. 32.
Quicunque calcat orbitam. 167. 75.
Quid Mundi cita gaudia? 261. 47.
Quid ſum, CHRISTE, *quòd.* 176. 47.
Qui *nos benignè paſcere.* 130. 9.
Qui nunc, Amici, triſtibus. 107. 48.
Quis novit impotentis. 92. 40.
Qui ſigna CHRISTI *vult.* 112. 36.
Qui *tam benignè me tuetur.* 152. 43.
Quisquis à viâ recedes. 199. 30.


Quis-

Quisquis es huc tenſum. 68. *
Qui *ſuper altâ nube ſitas.* 52. 72.
Qui *Tuam Sponſam.* 140. 15.
Quòd ſum priori ſanitati. 248. 16.
Quousque, mi IESU, *terar.* 243. 58.
Quòd nos creavit, quòd. 147. 16.
Quòd me IEHOVA *contin.* 150. 43.
Quum noſtra nutant pect. 42. 32.
Quum tota Mundi machina. 91. 9.
Radix *renata* Ieſſe. 156. 40.
Receſſit, en, Sol *aureus.* 232. 36.
Rerum PATER *Sanctiſſ.* 104. 17.
Rex CHRISTE, *quo nil ſanct.* 20. 17.
Rex CHRISTE IESU *maxime.* 244. 27.
Rex CHRISTE, *lumen Gentium.* 194. 74.
Rex CHRISTE IESU, *Gnate.* 110. 14.
Rore Cæleſti madidata. 123. 22.
Sacroſancta TRINITAS. 4. 4.
Salvator ô IESU *pie.* 175. 58.
Sana Mens canas PARENTEM. 39. 28.
Sat jam devia trivimus. 180. 48.
Scio DEUM, *cui credidi.* 256. 27.
Sempernè Mundo dedite. 266. 39.
Sempernè pravi prava fov. 85. 31.
Sis CHRISTE *præſto, mi D.* 251. 48.
Sic clamitat GNATUS DEI. 181. 59.
Si turpis aut libido. 111. 40.
Sit meta jam doloribus. 173. 57.
Sol ſerene, Fons bonorum. 58. 38.
SPIRITUS *Alme Veni.* 206. *


Kk *Sum-*

Summi PARENTIS *intima.* 117. 48.
Supplex Tibi ſiſtor DEUS. 177. 48.
Supplex confiteor DEUM. 64. 7.
Surge, quiſquis es, citò. 40. 29.
Tangunt & angunt millè mol. 168. 31.
Te DEUS *Patrem Vocamus.* 63. 41.
Tibi me trado, IEHOVA. 237. 46.
Totius Orbis Lux Sacra. 234. 31.
Totus, ô IEHOVA *fortis.* 238. 41.
Vt pro DEO *meoquè promp.* 19. 16.
Vt Vult IEHOVA, *ſic.* 14. 52.
Veni Superne SPIRITUS. 75. 9.
Veni, Veni Potens HERE. 109. 52.
Verbum PARENTIS *Calici.* 5. 5.
Vergente Solis orbitâ. 229. 69.
Veritatis Alme Tutor. 25. 21.
Vernalis Aura rurſus. 200. 16.
Vide, IEHOVA, *res meas.* 100. 16.
Vita ruente Veſperâ. 223. 27.
Vitis ô Vita, ſimul ipſa. 35. 13.


Melodia prima.




2.



3.




4.




5.




6.







7.




8.




9.







10.




11.






12.




13.




14.




15.




16.




17.




18.




19.




20.




21.




22.




23.




24.




25.




26.




27.




28.




29.




30.




31.







32.




33.




34.







35.




36.



37.







38.




39.




40.



41.




42.




43.





44.




45.







46.




47.




48.




49.




50.




51.




52.




53.







54.




55.







56.




57.




58.







59.




60.




61.



62.




66.




64.







65.




66.




67.




68.




69.




70.




71.







72.




73.




74.




75.




76.




77.







78.



79.



80.



* NB. *

1. In Melod. 33. 42. 44. notæ quædam modò contrahantur, modò diſtrahantur : pro ratione textuum variantium.
2. Sub Melod. 71. poſſunt etiam reduci Odæ 104. 106. 108. 122. 215. 244. 245. ſi ſemper duæ conjungantur Strophæ.
3. Odæ 233. & 257. pertinent ad Melod. 42. Item Oda 265. ad Melod. 71. & Oda 217. ad Melodiam 33.

EPIGRAMMA
De Penſo S. Hauſchkoniano, ſubtiliter ſimul ac utiliter expenſo.

QUæ Muſa HAUSCHKONII, pia, ſanctaquè, caſtaquè, Muſa,
Hîc ſacra dat rhythmis cantica dulciſonis:
An quicquam potuit numeroſius, uberiusquè,
Inquè DEI laudes aptius hisce cani?
Prudenti, Sedúli, Fortunatequè; vobis
Nî major, certè eſt nec minor HAUSCHKONIUS.

M. ADAM. TÜLSNERUS.

Epigramma Autoris.

UT Penſum *abſolvam*, quod *cœpi hic*, *Candide* Lector,
Forſitan ingenuâ pro Pietate cupis?
Vel-

Vellem equidem! ſed non me poſſe fatebitur AEther,
Qui Tibi poſt obitum tale reſervat opus.
Scilicet hanc Vitam tanta imperfectio vexat,
Vt ſcopus & Studii rara ſit Ara pii.
Hinc fit, ut egregios doleamus ubiq; Libellos
Poſtremam Autorum non habuiſſe manum.
In Cælis demum quæ ſunt hîc cœpta, replebit
Mens noſtra Angelicis conſociata Choris.

Mendarum
emendatio.

PAg. 44. lin. 4. recepit. Ibid l. 18. regit. P. 47. l. 7.

l. 7. Qui. P. 53. l 18. cum. P. 71. l. 14. Ipſe. P. 85. l. 11. perpetimque. Pag. 119. l. 2. correptio. Pag. 120. l. 7. Bonum. P. 123. l. 13. Tuorum. P. 146. l. 20. Quæ ſpem creat. P. 150. l. 17. ſpectant. P. 153. l. 14. renovetur. P. 155. Dogmate. P. 177. l. 11. Laudibus. P. 184. l. 5. Ethnicis. P. 188. l. 3. ſuſtuleris. P. 198. l. 7. vacabo. P. 234. l. 7. queis. P. 301. l. 8. Quam. P. 303. l. 20. Et Gratiæ.

P. 316. l. 1. inviƈtiſſimæ. P. 345. l. 4. vacabis. P. 479. l. 2. ajens. P. 483. l. 1. Annuus. Ib. l. 12. Martioquè. P. 487. l. 17. Telis revulſis. P. 530. l. 1. forti. P. 548. l. 7. 8. plenè, amœnè. P. 555. l. 3. hîc nobis. P. 561. l. 9. ſucciderет. P. 628. l. 16. gloriæ. P. 647. l. 19. das. P. 676. l. 12. Diſcrimine. P. 683. l. 6. queruntur. P. 688. l. 2. Cœtus. P. 696. l. 16. quales. P. 714. l. 3. item. P. 720. l.

12. Pax. P. 744. l. 4. nubilis. Cetera in Commatib9, Tonis & Diphthõgis (quanquam & de iſtis

Grammatici certant, & adhuc ſub Judice lis eſt)

ſi quæ fuerint ſphalmata, Lector B. ultrò emendabit, vel ſubſequenti noſtræ curæ commendabit.

F
I N I
S.

PUBLIC LIBRARY

OF THE

ITY OF BOSTON.

BBREV ATED REGULATIONS.

ne volume can be taken at a time from the ver Hall, and one from the Upper Hall.

ooks can be kept out 14 days.

fine of 3 cents for each imperial octavo, or ger volume, and 2 cents for each smaller ume, will be incurred for each day a book is ained mo than 14 days.

ny book detained more than a week beyond time limited, will be sent for at the expense the delinquent.

o book is to be lent out of the household of borrower.

he Library hours for the delivery and re- n of books are from 10 o'clock, A. M., to 8 lock, P. M., in the Lower Hall; and from 10 lock, A. M., until one half hour before sun- in the Upper Hall.

Every book must, under penalty of one dol- , be returned to the Library at such time in tober as shall be publicly announced.

No book belonging to the Upper Library, can given out from the Lower Hall, nor returned re; nor can any book, belonging to the wer Library be delivered from, or received the Upper Hall.

Lg 20.
8
80 Blätter